(Hesiod)
Deiters

DE HESIODIA
SCUTI HERCULIS DESCRIPTIONE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA.

SCRIPSIT

ET

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE OBTINENDORUM GRATIA

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXVIIII. MENSIS IULII A. CIↃIↃCCCLVIII

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS DEITERS

BONNENSIS.


ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

AUGUSTUS REIFFERSCHEID, SEMIN. REG. PHILOL. NUPER SENIOR.
EUGENIUS PETERSEN, SEMIN. PHILOL. SOD. ORD.
GUILELMUS GERMAR, SEMIN. PHILOL. SOD. ORD.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGII.

MDCCCLVIII.



OTTONI IAHNIO

PIETATIS CAUSA

De Hesiodia scuti Herculis descriptione disputaturo mihi paucis praefandum videtur de toto hoc artis opera describendi more, qua ratione veteres poetae in eo versati sint. Quorum quidem descriptiones si accuratius inter se comparantur, duo maxime in eis quae dicam describendi genera distingui posse videntur; eorum autem discrimen ita brevissime significari ut aut rerum imagines aut ipsae res descriptae esse dicantur. Quod quibus rebus cognoscatur exemplis clarum fiet. Sic primum Moschus carminis alterius, quod Europa inscribitur, versibus 43—62 aureum Europae calathum describit tribus imaginibus ad Ionis fata pertinentibus ornatum; quarum prima Io conspiciatur vaccae specie per mare fugiens, quam e litore homines contemplentur (44—49); altera rursus Io eadem forma apud Nili ripam a Iove tacta (50—54); tertia Mercurius ab eoque occisus Argus, e cuius sanguine pavo prodierit (51—61). Postremam imaginem ipse dicit in superiore parte *ὑπὸ στεφάνην* repraesentatam fuisse; reliquas duas totum calathum implevisse in duas areas divisum probabilis est Meinekii sententia. In ipsis autem imaginibus videmus poetam severe in eis describendis se continere quae revera conspiciantur, verbaque omnia ad unum illud temporis momentum quod repraesentatum sit dirigere. Deinde quo certius etiam imaginis cogitationem lectoris menti commendet, ipsa quibus singula enumerat verba ex artis ratione sumit, *τετυγμένη ἦν* v. 44, *ἐτέτυκτο* 47, *ἤσκητο* 56; materias quibus singulae figurae factae sint, accurate indicat, v. 44. 47. 53. 54; postremo verbis *νηχομένῃ ἰκέλη*[1] diserte imaginis ab ipsa re

1) Cf. de huiusmodi formulis bene monentem schol. Apoll. Rh. I. 749. ad verba *μογέοντι ἐοικώς*? „*διὰ δὲ τοῦ ἐοικὼς ἐκόλασε τὸν λόγον διὰ τὸ ἐν γραφῇ εἶναι· οὐ γὰρ ἀληθῶς ἐκακοπάθει ἐν τῇ γραφῇ.*“

discrimen significat. Certam autem hanc et ipsius calathi [2] et singularum imaginum formam, quam animo tenere manifestum est poetam, non ipsum sibi finxisse sed ab artis operibus quae vidisset sumpsisse ut credamus facile adducimur. Quod quidem eo mihi confirmari videtur quod scimus hanc fabulam uberrimam veteribus artificibus fingendi materiam praebuisse. Argi primum interfectionem cum saepissime repraesentatam habeamus [3], Moscheae prorsus fere convenientem gemmae vitreae imaginem publici iuris fecit Panofka [4]; unde iure colligimus extitisse etiam imagines priorum Moschearum similes. Nam in servatis quidem artis veteris monumentis Ionem fugientem nusquam [5], Ionis autem in Aegyptum adventum diverso modo fictum videmus in pulcherrima pictura Pompeiana [6]. Argi autem occisionem cum eo potissimum modo describat quo posteriore aetate repraesentari solebat [7], diverso illo a veterioris temporis more [8], clarius etiam prodit ipsorum artis operum se notitiam habuisse.

---

2) Obscuritas quaedam postremae imaginis depravatione orta est. Pavonis enim alis quomodo totus calathi margo circumdetur, vix nobis cogitaverimus. Versus autem 61 χρυσείου ταλάροιο περίσκεπε χείλεα ταρσοῖς cum non cohaereret cum superioribus, Hermannus post vs. 59 lacunam notavit unius versus, quo ipsum pavonis vocabulum prolatum fuisset et orationis coniunctio restitueretur; deinde pro ταρσοῖς restituendum censuit πάντη propter Theocriti verba I. 55. quae imitatus esset ille. Mihi Theocritum denuo comparanti et offensionis quam supra proposui rationem habenti verisimilius esse visum est ante vs. 61 intercidisse versum, quo florum aliquod ornamentum commemoraverit poeta; quod quidem apte diceretur calathi marginem circumdare.

3) Monum. dell' Inst. II. 59. Vinet Revue arch. III. p. 309. Gerhard archaeol. Zeitg. 1847. 2. Tab. 2.

4) Panofka Argos Panoptes (Berlin 1838) Tab. III. 1. Argum hic videmus in terram prostratum (ἐκτετάνυστο Mosch. 56.), Mercurium harpen Argique caput manibus tenentem, pavonem in arbore sedentem, vaccam aufugientem.

5) Gemmae imago quam huc pertinere sibi persuasit Panofka p. 18 (tab. I. 5) dubitari potest num quid mythici argumenti prae se ferat.

6) Raoul-Rochette choix de peintures pl. 17. Prorsus immerito alteri Moschi imagini Panofka comparavit gemmae imaginem argumenti diversissimi, p. 19 adn. 1. (tab. I. 7.)

7) Huc illud maxime pertinet quod pavonem consurrexisse scribit ex Argi vulnere; hoc enim veterioribus et poetis et artificibus ignotum erat.

8) Hic etiam illud fortasse consideratione dignum est quod bis disertis

Hoc describendi genus paulo deflexum habemus apud Euripidem, qui Ionis fabulae vs. 1146 sq. imagines describit stragulis quibus tentorium texisse narratur Ion intextas. Atque ei quidem tegumini quo superior pars tegatur inesse dicitur coelum cum sideribus, sole occidente, nocte curru vecta, luna, denique aurora sidera persecuta. In lateribus repraesentatae erant Graecorum cum barbaris pugnae, deinde venationes; in fronte Cecrops cum filiabus. Convenit haec descriptio eo cum Moschea, quod imaginis ratio, quae in uno temporis momento illustrando consistit, severe observatur; differt eo, quod in singulis verbis nihil eorum invenitur, quibus Moschum vidimus ipsius artis rationem significare, sed ad narrationem quodammodo accedentem orationem (ἤλαυνε, ἔπαλλεν, ἠκόντιζε etc.). Hoc tamen non impedit quominus Euripidem quoque credamus tales imagines in Delphicis illis stragulis revera vidisse [9]; nam harum quoque similes in ipsis artis monumentis conspicimus. Numina primum, quibus sidera significantur, personarum forma praedita saepissime repraesentabantur [10], nec minus saepe pugnae et venationes [11]; in nonnullis operibus

verbis dicit Ionem vaccae speciem prae se ferre. Nam in Ionis forma repraesentanda, prout tota fuerit vacca aut vero virgo vaccae cornibus praedita, temporum discrimen mihi statui posse videtur, quorum sane termini non prorsus certo possunt definiri. Antiquissima aetate vaccae species praevalebat, quod ex antiquissimis vasculis pictis videmus (Panofka I. 5. Revue arch. III. 310. Arch. Ztg. l. c., cf. Paus. III. 18. 7.); deinde per longum tempus altera illa forma sola obtinebat, quae in omnibus posterioris temporis vasculis pictis conspicitur (cf. Herod. II. 41); donec postremo inter utramque formam videntur fluctuare artifices. Nam in gemmarum imaginibus solam habemus vaccae formam (Panofka I. 7. II. 2. III 1.)

9) Sic eiusdem fabulae vs. 190 sq. argumenta quae in templi illius fronte exsculpta erant Creusae famulas describentes facit.

10) Gerhard, über die Lichtgottheiten auf Kunstdenkmälern. Berlin 1840. Notissima est solis imago quadriga vecti, cf. Welcker alte Denkm. III. p. 53 sq. tab. IX. Noctis certae imagines non supersunt, quam tamen saepius repraesentatam esse constat (Paus. X. 38. 2. Hirt Bilderbuch p. 196). Coelus nunquam apud Graecos personae forma fictus est (Welcker gr. Götterl. I. p. 151.); et propter hanc causam et quia haud commode verba quibus commemoratur ille cum ceteris coniungi possunt (ubi praeterea verba ἄστρα et αἰθήρ infra repetuntur v. 1151. 1152) vs. 1147 mihi suspectus est.

11) Müller Handb. §. 426. 427. Pugnam ad Salamina significari, venationibus autem Herculis labores intellegendos esse Barnesius censuit.

videmus etiam Cecropem cum filiabus [12]. — Longius etiam a Moschea simplicitate recedit Catulli purpureae vestis descriptio carmini de Pelei Thetidisque nuptiis inserta, cui Ariadnae a Theseo relictae imago fuerit intexta (vs. 50 sq.). Hic enim primum universa simul fabula illa narratur (vs. 76 sq.), tum vero tantum abest ut ipsis verbis artificii ratio significetur, ut ea quoque immisceantur quae cum ad cogitationem animique habitum pertineant (vs. 52 sq.) aut ad auditum potius spectent (vs. 261), sic in imagine expressa esse nequeant. Sed tamen haec omnia talia esse quae indicari saltem possint in imagine quisque concedet; omninoque videmus poetam imaginis cogitationem bene tenere et ad unum temporis momentum omnia dirigere, quo ad Ariadnam Thesei navem oculis persecutam „parte ex alia" [13] Bacchus cum thiaso appropinquet; sedulo autem cavere, ne quae descriptionis sint, quae narrationis, inter se commisceantur (vs. 76. 124.). Hanc vero quam animo tenere eum manifestum est certam imaginis formam veris artis operibus deberi e monumentis posterioris maxime aetatis certissime cognosci licet, in quibus primum Ariadnam lacrimantibus oculis Theseum prosequentem saepius videmus [14], deinde non minus frequentem Bacchi cum thiaso ad dormientem Ariadnam accedentis imaginem [15], simillimam denique Catullianae descriptioni picturam Pompeianam, in qua ad lacrimantem Ariadnam Bacchus cum Sileno duabusque Nymphis accedit [16]. — Has igitur descriptiones specie quidem inter se diver-

---

12) Videmus eos in amphora pulcherrima (Nouv. Ann. de l'Inst. archéol. Vol. II. pl. XXII. XXIII.) in Orithyiae raptu praesentes, cf. Welcker alte Denkm. III. p. 145 sq. (adnot. 41). Eosdem in opere anaglypho Attico, Mus. Worsl. I. 9, conspicere sibi visus est Müllerus §. 387. 7; in quibus omnibus Cecrops humana figura repraesentatus est. Cecropem cum inferiore serpentis corporis parte, qualem Euripides describit, videtur praebere statua Attica Nouv. Ann. pl. 8. (Raoul-Roch. p. 313 sq.).

13) His enim verbis Romanorum poetas in descriptionibus videmus imaginis formam significare, Virg. Aen. I. 474. Sil. Ital. II. 426. Val. Flacc. I. 140.

14) O. Jahn archaeol. Beiträge p. 281 sq. Habemus hanc imaginem in statuis (Leplat. 85. Gall. Giust. 142) et picturis (Antich. d'Ercol. II. 14. 15. Mus. Borb. VIII. 4).

15) Pausan. I. 20. 2. Jahn p. 287 sq. Raoul-Rochette choix de peintures pl. 3. p. 27 sq.

16) Raoul-Rochette choix d. p. pl. 6. p. 74.

sas eo secum convenire vidimus quod supra appellavimus imaginem rei, non ipsam rem describi; quod quidem inde plerumque fluxisse cognovimus, quod ab ipsis artis operibus materiam describendi sumpserint poetae. — Ceterum probe scio hoc non ut certam normam ubique adhibere licere, imo fieri etiam potuisse ut describendi materiam aut ipse sibi fingeret aliquis aut ab aliis poetis repeteret, huic autem severam illam describendi rationem ratiocinando sive imitando accommodaret; quamvis putem, ubi certam imaginem non teneat animo poeta, hoc certis ubique vestigiis facile inventum iri. Huius generis exemplum peto ex Apollonii Rhodii descriptione vestis Iasonis septem imaginibus ornatae (I. 721—767). Quarum quidem plerasque, sicut simpliciter et cum certa imaginis cogitatione describuntur, ita certis operibus originem debere facile intellegitur: nam Veneris primum imaginem (742—746) notissimae statuae duobus exemplaribus nobis servatae iam ab aliis observatum est respondere [17]; deinde Pelopis et Oenomai certamen (752—758) eadem qua ab Apollonio describitur ratione saepissime fictum esse e vasorum picturis operibusque anaglyphis satis luculenter cognoscimus [18]; denique et Apollinis Tityum interficientis (759—562) et Phrixi cum ariete loquentis (763—767) imagines cum describendi genere tum monumentorum comparatione intelleguntur ab artis operibus sumptae esse [19]. Quarta imago, qua Teleboarum cum Electryonis filiis pugna repraesentata dicitur, in artis reliquiis non reperitur; cuius argumentum ex Hesiodia eius rei commemoratione (sc. v. 17) sumptum esse puto, quem saepius imitatus est Apollonius et cui ipse tribuit illud de quo disputaturi sumus carmen.

---

17) Millingen anc. uned. monuments pl. 4—6. p. 6. Welcker alte Denkmäler Vol. I. p. 439. Statuam huius similem in Corinthio templo fuisse Pausanias testatur (II. 5. 1.).

18) Prorsus consimilem imaginem describit Philostratus I. 17., ubi Welckerus artis opera plura attulit. Et Hippodamiam quidem una cum Pelope in curru stantem semper in posterioris aetatis artificiis videmus, in vasorum imaginibus (Monum. ined. II. 32. Gerhard Archemoros etc. 1838) et operibus anaglyphis (Ancient terracottas of the Brit. Mus. tab. 34); Oenomaum autem a curru iam decidentem in opere apud Guattanium monum. ined. 1785. tab. 3. pluribusque a Papaslioti (Arch. Zeitg. 1855. p. 55.) et Friedrichsio (eod. 1855. p. 81) publici iuris factis.

19) Apollo Tityum sagittis interficiens in vasorum picturis, Elite ceramogr. II. pl. 55—57. Phrixus cum ariete, Paus. I. 24. 1. Vasculum apud Gerh. Phrixus d. Herold. 1842. Pictura Pomp., M. Borb. II. 19.

Atque in hac ipsa imagine poetam non certam artificii rationem tenere sed ad rem ipsam enarrandam quodammodo accedere videmus eo quod terram adspergi (δεύετο) dicit occisorum sanguine. Quae cum ita sint, etiam priores duas imagines, Cyclopes Iovi tonitru fabricantes et Amphionem Zethumque Thebas condentes (730—741), quarum similes in artis operibus non inveniuntur, poetam arbitror ipsum e mythica historia sibi formasse.

Transeo ad alterum describendi genus, quo rem ipsam neglecta certae imaginis cogitatione describi supra significavi. Hoc autem luculentissime expressum extare in Homerica scuti Achillis descriptione notum est; in qua primum quaecunque describuntur in temporis aliquo decursu posita sunt, deinde permulta adduntur quae ad causas rerum aut consilia spectant nec possunt arte exprimi. Sic ut uno exemplo defungar, in altera eius imagine (Il. XVIII. 509—540) qua pugna de obsidenda urbe describitur, postquam inter duos exercitus non convenisset de foedere iungendo, alter alteri insidias parasse hostesque appropinquantes ex inopinato aggressus esse narratur; inde acerrime pugnari coeptum. Eodem modo in ceteris imaginibus, quae sane pleraeque simplicioris sunt argumenti, ipsas res quasi re vera acciderent enarrari videmus. Huius rei causam et rationem ut cognoscamus eorum meminerimus oportet quibus olim Lessingius [20] hunc describendi morem omnino ab artis poeticae propria natura alienum esse habendum demonstravit. Quod duplicem maxime ob causam ita esse exposuit; primum enim his descriptionibus historiarum progressus intermittitur; deinde ne potest quidem imaginis plena perspicuitas effici vel accuratissima descriptione. In hanc vituperationem cum omnes quas supra enumeravimus descriptiones incurrere facile appareat, Homericam tantum abesse ostendit Lessingius (p. 480. 485.) ut narrationem intermittat ut ipsa descriptione historia continuetur; quae non sit perfecti operis sed operae quam in eo perficiendo Vulcanus impenderit; eum enim ut continuo fabricantem cogitemus, repetita formula ἐν δὲ ποίησε, ἐν δ' ἐτίθει in enumerandis singulis imaginibus effici. Eodem igitur modo (huc enim tetenderam) ipsa descriptionum argumenta non de perfectis imaginibus, sed de ipso deo mente sua eas concipiente et formante intellegenda sunt. Nam artifici, qui imaginem ex actionis alicuius decursu sumptam

---

20) Werke ed. Lachmann Vol. V. p. 471 sq.

fingere instituit, ipsa huius actionis perpetuitas clare animo obversetur necesse est, priusquam ipsam perficiat itaque exornet ut adspicientes eam ipsi ratiocinando consilium eius assequamur. Duorum igitur negotiorum quae se apud artificem deinceps excipiunt prius illud Homerus describendum sibi sumpsit proferendis eis, quae artifex fingere instituisset; eis omnibus in incerto relictis quae ad perfectae imaginis formam pertinerent. Huic primum illud convenit quod Homeri descriptio caret omnibus istis quibus ceteros vidimus certae imaginis formam indicare [21]; tum vero quod pro certo affirmari potest Homerum non a veris monumentis argumenta sua petiisse, cum opera huius magnitudinis tam antiquo tempore nondum fingerentur. — Adnumerari potest huic generi etiam Theocritea poculi tribus imaginibus ornati descriptio (I. 32 sq.) in quarum prima mulierem a diversis partibus viri amore eius incensi sibi quisque verbis conciliare student, frustra illud quidem; nam illa

ὁκὰ μὲν τῆνον ποτιδέρκεται ἄνδρα γελᾶσα
ἄλλοκα δ' αὖ ποτὶ τὸν ῥιπτεῖ νόον.

Videmus poetam certos unius imaginis fines neglegere remque qualis in mente artificis fuerit enarrare. Similiter in relicuis duabus ea inserit quae arti non conveniunt (cf. vs. 43. 51). Quare Theocritum quoque recte negamus artis opera secutum esse, id quod in postremis duabus imaginibus eo confirmatur quod eas imitatione expresserit alteram Hesiodi (scut. 207) alteram Homeri (Il. XVIII. 561 sq.).

De hoc igitur discrimine pro certo constare volui priusquam ad iudicium de Hesiodia illa omnium copiosissima scuti Herculis descriptione formandum accederem; id enim potissimum quod neglegeretur superioribus impedimento fuisse puto quominus in hac descriptione aut explicanda aut ad pristinam formam reducenda verum assequerentur. Inter eos autem, qui de hoc carmine aliquo modo bene meriti sint, primus omnium memoratu dignus est Schlichtegrollius [22]. Is enim primum in singularum imagi-

---

21) Nonnulla quae huc pertinere videntur et propter hanc causam et aliorum gratia mihi suspecta sunt, quod hic persequi longum est; maxime huc pertinent vs. 516—519 et vs. 539. 540. Materia quod nonnunquam commemoratur, nihil habet offensionis.

22) Ueber den Schild des Hercules nach der Beschreibung des Hesiodus, Gotha 1788. Nullius enim momenti sunt quibus olim Caylus (Abhandll. Vol.

num terminis accuratius quam antea factum erat definiendis laudabilem operam posuit; deinde singularum imaginum formam et rationes diligenter illustrare conatus est ea persuasione ductus, poetam omnia quae describeret perspicue animo tenuisse, quod quidem non ubique simili modo valere cognoscemus; ubi tamen illud probe perspexit, plures earum cum artis antiquissimae operibus mirum in modum convenire, nonnullas autem ad Homeri imitationem esse compositas. Postremo exponit quomodo imagines in scuto distribuendae sibi videantur, formam scuti ovatam cogitandam esse credens; quod certe neque idoneis argumentis neque certis testimoniis adiutus sibi persuasit. Nam cum omnino rotunda clipeorum forma apud Graecos semper fuerit usitatissima, quam qui relinquere vellet hoc diserte indicare deberet [23]: tum maxime Homerus, a quo totam hanc armorum enumerationem sumpsit noster, rotundos tantum novit clipeos. Interpolationis suspicionem Schlichtegrollio fere nunquam in mentem venisse is iam reprehendit qui eius libelli censuram egit [24]. — In singulis plerisque cum Schlichtegrollio fecit Heinrichius [25], qui tamen in universum eo ab illo dissentit, quod nusquam artificii normam ac legem censet adhibendam esse, sed omnia ex poeticae licentia descriptionis aestimanda. Quod ipsum de nonnullis imaginibus recte dici, in plurimis autem falsum esse infra apparebit. — Ad propriam autem descriptionis nostrae conditionem accuratius cognoscendam ut propius accedere-

II. p. 237) Lorrainii cuiusdam ineptissimam picturam illustravit; neque maioris habenda quae Heylerus carminis nostri versioni alicui vernaculae (Mannheim 1784) addidit. Verius tamen quam ipse Schlichtegrollius quique eum proxime secuti sunt olim Clericus iam iudicaverat ad vs. 148: „Non modo intoleranda est licentia poetae, quod multo plura poneret in clipeo quam poterant contineri; sed quod eum impleret αὐτομάτοις, qualia multa postea occurrerent.“ Significare voluit ea quae cum imaginis natura pugnarent.

23) Fuchs de ratione quam veteres artifices — in clipeis imaginibus exornandis adhibuerint, Göttingen 1852. p. 3.

24) Neue Bibliothek der schönen Wissenschaften Tom. 38. p. 273 sq. Spurios habuerat Schlichtegrollius tantum vs. 156—160. 204. 299, quibus addidit censor ille vs. 151—153. 267—269. 296—300. Verum in his postremis iam Guietus offenderat.

25) Hesiodi scutum Herculis ed. Heinrich, Vratisl. 1802. cf. proll. p. 75. comm. p. 188.

tur opera factum est Welckeri [26]; qui cum in singulis imaginibus illustrandis quantopere pleraeque cum artis antiquae monumentis convenirent luculentius quam antea factum esset ostendisset, in universum tamen ita statuit neque totius scuti ordine quodam distributi neque ipsarum ubique imaginum certam formam animo tenuisse poetam; qui nonnulla eorum maxime quae ab Homero sumpta essent nimis breviter ac neglegenter proferret, deinde fingeret etiam quae artis naturae prorsus obstarent. Propter ipsam autem in describendo obscuritatem cum duobus saltem locis posteriorum additamenta conspici putaret [27], eam viam monstrasse videri potest quae ingredienda esset ut ad certam de hac descriptione sententiam perveniri posset. Quam quidem non sunt ingressi qui deinceps Hesiodi carmina ediderunt Dindorfius et Goettlingius; quorum ille uno saltem memorabili exemplo (v. 292 sq.) trium recensionum vestigia detexit; Goettlingius vero, cum in singulis fere nusquam offenderet, totam scuti descriptionem ab Alexandrino quodam poeta carmini insertam esse putavit propter mirum illud commentum quod vs. 217 de Perseo legitur; antea autem versum 318 continuo post vs. 140 lectum esse. Haec ita coniuncta esse non posse Hermannus ostendit Opusc. VI. p. 196; omninoque minus considerate Goettlingius primum ex uno loco de tota descriptione iudicium tulit, qui ipse potest subditicius esse, deinde Alexandrinis poetis ea tribuit quae quidem ab eis qui nobis noti sunt alienissima esse supra apparuit.

Primus Godofredus Hermannus [28] certissimis argumentis pro indubitato habendum esse demonstravit, non posse hanc descriptionem ab uno poeta profectam esse. Nam cum illud fortasse ferri posset nimis magnam esse imaginum copiam, tamen quod sine certo ordine pleraque enumerata essent, quod, quae inter se essent simillima, coniuncta exhiberentur, quod integri versus aut versuum partes repetitae legerentur (v. 150 = 163, 147 = 236, 282 = 283 = 299, 277 = 284, 295 = 298 = 300) haec omnia intellexit coacervatam indicare plurium poetarum operam. Itaque in eo operam posuit ut pristinam descriptionis formam coniectando

---

26) Zeitschrift für alte Kunst, Göttingen 1818. p. 573 sq.

27) In belli numinum commemoratione vs. 154 sq. et in agriculturae descriptione vs. 286 sq.

28) In censura editionis Goettlingianae, Opusc. VI. p. 201 sq.

assequeretur; diversarumque recensionum vestigia in singulis primum imaginibus persecutus undecim quas retineret imaginum quae inter se similes essent secernens, quae diversae apteque sibi invicem opponendae coniungens duas assecutus est quae ab initio extitissent integras scuti descriptiones quattuor utramque imaginibus consistentes, quibus accederet Oceanus postremae, draco sive φόβος aut Perseus mediae imaginis loco. Harum alteram poetae menti non respondere Lehrsius ostendit; sed in singulis etiam imaginibus tractandis pleraque minus feliciter conatum esse Hermannum infra videbimus. Cuius rei causam eam esse existimo quod neque quae imitatione orta sint a ceteris distinxerit neque usquam de artis operibus comparandis cogitaverit. — Totam autem Hermanni operam inutiliter esse adhibitam efficere studuit Odofredus Muellerus, qui in commentatione de hac descriptione conscripta [29] ostendere conatus est omnia in ea prudenter esse instituta rectoque ordine procedere; proprium autem ei esse, quo a similibus distaret, quod cum antiqissimae artis operibus ubique conveniret. Quod quidem in omnibus imaginibus aequabiliter valere ne ipsi quidem contigit demonstrare, in plurimis autem iam superiorum opera patefactum erat. Exponit deinde Muellerus quomodo sibi imagines in scuto distribuendae videantur, idque tabula adiecta illustrat; ubi consilium aliquod poetae deprehendisse sibi visus est in duabus totius scuti partibus distinguendis consistens ea ratione, ut altera terrorem moventibus altera tranquillioris argumenti imaginibus impleta esset. Argumenta illa quibus Hermannus plurium poetarum manum agnosci ostenderat speciatim refutare prorsus dedignatus est, eosque locos quibus hoc luculentissime efficitur silentio praeteriit. Attamen Muellerum, cuius operam maiore cum iure diceres haud ita multo cum fructu esse adhibitam, plurimi recentiorum secuti sunt [30]; cum viam ab Hermanno munitam unus eo-

---

29) Archäologische Vindication des hesiodischen Herakles-Schildes, Kleine Schr. Vol. II. p. 615 sq.

30) Fatetur hoc Rankius, scut. Herc. p. 341; Lennepius deinde (ed. 1854) p. 32 sq. priorum sententiis non satis accurate pertractatis ipse Muellero assentitur. Maxime autem mirum est quod etiam post Lehrsium extiterint qui eius opera prorsus neglecta novas imaginum distribuendarum vias ingressi sint, Brunnius (Rhein. Mus. N. F. V. p. 342 sq.) et Overbeckius (Gesch. der griech. Plastik I. p. 53) qui fatetur adeo sibi nondum ad finem perductam videri quaestionem de carminis forma.

rum ingressus sit Lehrsius [31]. Is autem eo maximum in hac quaestione profecit solvenda, quod ex illa duarum partium distinctione, quarum altera ex ipsius poetae ingenio profecta esset (vs. 141—236) altera ad Homericae scuti Achillis descriptionis imitationem expressa (237—317) argumentum cepit ad pristinam carminis formam restituendam. In his enim praeter ipsum discrimen illud accedere cognovit quae ostenderent eas non posse ab uno poeta profectas esse; primum miram quandam scribendi generis diversitatem, cum prioris seriei imagines simpliciter et perspicue describerentur, molestissime autem confertae obscuraeque essent ceterae; deinde quod prioris partis singulae imagines verbis ἐν δὲ et versus initio inciperent, id quod in altera parte prorsus omitteretur (ἐπὶ δὲ 236 seu οἱ δὲ 237, παρὰ δὲ 270 in medio versu) [32]. Inter priores deinde imagines intellexit primam draconis (144—160) et secundam serpentum imaginem (161—167) alteram ad alterius imitationem expressam esse; reiecta igitur prima, quae praeterea molestis additamentis aucta esset, novem quas retinuit imaginibus serpentum (161—167) aprorum leonumque pugnae (168—177) Lapitharum et Centaurorum pugnae (177—190) Martis (191—196) Minervae (197—200) deorum chori (201—206) portus (207—215) Persei (216—228) denique quem inter hasce connumeravit Oceani (313—317) genuinam scuti descriptionem constitisse censuit; quas deinde ipsas a posteriorum additamentis quibusdam liberatas ita in scuto distribuere conatus est ut Perseum in medio positum circumdarent ceterae, in quibus binas e consilio poetae sibi opponendas facile agnosceres. Pro certo autem talem ordinem indicare voluisse poetam se negat arbitrari, neque singularum imaginum putat certam ubique formam tenere eum, sed fere omnia, ut olim Heinrichius putaverat, e poeticae descriptionis indole aestimanda esse. Quod quidem in plurimis imaginibus secus esse cum iam pridem observatum sit, tum luculentissime apparebit si discrimen illud describendi generum quod supra statuimus ad Hesiodiam descriptionem adhibemus; quorum in ea miram habemus varietatem. Eas enim imagines quae inde a Lapitharum pugna usque ad

31) In censura editionis Rankianae, Jahns Jahrb. 1840. p. 269 sq. Populäre Aufsätze p. 243 sq.

32) Quibus quod Lehrsius addit Vulcanum in altera solum parte scuti artificem commemorari (244. 297. 313.) versum 219 omisisse videtur.

Perseum leguntur ab eis quae priorem illam praecedunt eodem modo differre apparet quo supra Catulli descriptionem a Moschea distare vidimus; cum eorum quae in altera parte leguntur quaedam vel Homericum illud genus prae se ferant (cf. vs. 251 sq.), quamquam in hac parte de certo describendi genere propter obscuritatem et neglegentiam vix dici possit. Ex hoc autem discrimine certissimum puto argumentum peti posse quo secernantur quae ab eodem poeta non possint profecta esse; haec enim genera cum in diversa poetarum de ipsorum arte sententia nitantur, in unius poetae descriptione coniuncta cogitari nequeunt. Quod etiam in diversas illas prioris generis species cadere existimo, quibus ipsis diversum poetae consilium inesse apparet. Hisce autem generibus novum quoddam maximeque mirum apud Hesiodum accedit, quod in talibus immiscendis perspicitur quae consulto fingantur artis naturae repugnantia (cf. vs. 164. 217. 231. 309. 316); in quibus quidem Lehrsius propriam quandam intellegi voluit pulchritudinem. Exercetur sane hoc modo poetica quaedam in describendo libertas, diversissima tamen illa ab ea qua Homerus utitur; proficiscitur enim poeta a certae imaginis cogitatione, idque in ea conspici vult quod natura vetat quominus conspiciatur. Quod num admirabile sit habendum, ego non iudicabo [33]; hoc tantum teneri velim esse quoddam simplex et ad artis rationem conformatum describendi genus, a quo talia commenta suapte natura aliena sint.

Omnium autem severissime in L a p i t h a r u m e t C e n t a u r o r u m p u g n a e imagine (vs. 178–190) imaginis certam cogitationem servari videmus; in qua nihil de ipsius fabulae ratione, de pugnae causa hominumve consiliis profertur, sed tantum imaginis forma personarumque se petentium figurae mira orationis simplicitate describuntur. Accedit accurata materiae indicatio (vs. 183. 188) qua ipsae personae dicuntur aureae, arma eorum argentea fuisse. Denique verbis *ὡςεὶ ζωοί περ ἐόντες* vs. 189 diserte imago ab ipsa re distinguitur. Iam cum hanc descriptionem proxime accedere videamus ad illas quas ex artis operum notitia fluxisse supra apparuit, ipsam iure suspicamur certum aliquod artificium reddere; quod quidem mihi multo quam antea factum sit luculentius confirmari posse videtur. Centaurorum primum pugnantium figura qualem poeta sibi cogitavit in antiquissimae aetatis operibus frequen-

33) Cf. de his locis recte monentem Welckerum p. 586.

tissima erat. Sic in vasculo picto Caere oppido reperto [34] sex Centauros videmus lapidibus et arboribus adversus Herculem sese defendentes, quorum figurae nigro colore exhibitae sunt. In simili vasculo a Gerhardo Vulceis empto [35] Herculem habemus cum tribus Centauris arboribus eum aggressis pugnantem, quibus nomina adscripta sunt Ὕλαιος, Πετραῖος, Ἄσβολος. Et haec nomina autem posteriora et arboribus pugnantes Centauros apud Hesiodum habemus. Ipsam autem quam Hesiodus descripsit imaginem praebet ingens amphora illa a Françoisio anno 1844 Clusii reperta [36], in cuius collo picti sunt Centauri arboribus lapidibusque adversus Lapithas scutis et ensibus armatos pugnantes; omnibus autem figuris nomina adscripta sunt, partim sane temporis iniuria oblitterata. Supersunt Centaurorum Ἄσβολος, Πετραῖος, Ἄγριος, Ὕλαιος, Πυρρός, Ὀρόβιος, Μελαγχαίτης, Lapitharum Θεσεύς, Ὅπλον, Καινεύς, Ἀντίμαχος, et fragmentum nominis ΑΡΥ in quo Δρύας latere suspiceris [37]; quorum quae sit cum Hesiodiis compluribus congruentia manifestum est. Haec autem vascula ipsa satis antiquo tempore facta [38] testimonium nobis perhibent etiam veteriorum operum a quibus ceperint argumenta sua vasorum pictores. Hoc eo efficitur quod similes eorum imagines fuisse discimus in antiquissimis illis quorum notitiam habemus operibus, arca Cypseli et Apollinis Amyclaei throno, quorum operum imagines plurimas in vasorum picturis simili modo exhibitas cognoscimus [39]. Sic Pausanias in arca Cypseli viderat τοξεύοντα ἄνδρα Κενταύρους (V. 19. 2.) in throno autem Amyclaeo primum τὴν παρὰ Φόλῳ τῶν Κενταύρων μάχην, deinde Ἡρακλέους πρὸς Ὄρειον Κένταυρον μάχην (III. 18. 7.) Orei autem nomen ibi adscriptum legimus etiam

34) Gerhard auserlesene Vasenbilder II. tab. CXIX. Similes nonnullas imagines descriptas invenies ab O. Jahnio Beschreibung der Vasensamml. Kön. Ludwigs No. 151. 156. Einl. p. CLI.

35) Gerhard etruskische Vasenbilder tab. 13.

36) Monum. ined. IV. tab. 54—57. Braun Annali XX. p. 299 sq. Gerhard Archäol. Zeit. VIII. tab. 23. 24. Jahn l. c. Einl. p. CLIII. sq. Lapitharum et Centaurorum pugna praeterea invenitur in vasculo antiquissimi temporis, O. Jahn Beschr. No. 126.

37) In oblitteratis Pirithoum fuisse iure Gerhardus suspicatur. Fortasse ceterorum quoque plura cum Hesiodiis conveniebant.

38) O. Jahn Einl. p. CLVII. CLXXIII.

39) O. Jahn Einl. p. CLXVII. Archäol. Aufsätze p. 6 sq.

apud Hesiodum vs. 186. Itaque Lapitharum quoque et Centaurorum pugnam eodem modo quo eam in amphora illa vidimus in antiquioribus etiam operibus saepius repraesentatam esse quamquam pro certo non sit compertum summo tamen cum iure suspicamur [40]. Descriptio igitur nostra cum omni ex parte conveniat cum eis operibus, quae extiterunt ea qua ipsa conscriberetur aetate [41], non possumus dubitare quin ex eorum notitia fluxerit. Hoc vero certius etiam nominum illo consensu confirmatur. Nam cum omnino solerent antiquissimae aetatis artifices in cuiusvis generis operibus personarum nomina adscribere [42], vasorum pictores illi ipsa nomina sine dubio a veterioribus monumentis sumpserunt; ab iisdem autem poetam sua illa nomina petiisse mihi veri simillimum videtur esse. Adscripta enim ea sine dubio sibi cogitavit; quod nisi fecisset, magnopere perspicuum illud describendi genus reliquisset; nescires enim quomodo personae in imagine dignoscerentur. De hac autem re nulla prorsus dubitatio relicta esset, si liceret suspicari, nonnulla horum nomina omnino ab artificibus primo esse introducta [43]. Constat enim artifices saepe in magna eiusdem generis personarum multitudine, ubi nomina a poetis tradita non sufficerent, ipsos nova finxisse e natura et conditione hominum illorum petita [44]; huius autem generis pleraque esse illa

40) Hoc luculentissime perspicitur in illa imagine ex hoc argumento sumpta, in qua Caeneus a Centauris in terram intruditur eoque modo occiditur; quam cum in pluribus antiquae artis monumentis conspiciamus (Welcker p. 577) tum etiam in amphora Françoisiana. Significare videtur eam etiam Pindarus fragm. 148. Boeckh.

41) De tempore carminis nostri disputarunt Heinrichius p. LVIII. Rankius p. 367 sq. Bernhardy Litt. II. p. 258, qui in eo omnes consentiunt, infimae epicae poeseos aetati illud adscribendum esse. Rankius Pisandro antiquius esse putavit, qui mutaverit Herculis armaturam eumque leonis pelle et clava instruxerit. Quod tamen non debebat continuo ab omnibus poetis recipi, sicut neque ab artificibus statim omnibus observatum est (Heinr. p. LXXI. Paus. V. 18. 1. Gerh. auserl. Vasenb. II. tab. 84 etc.) Ceterum videbimus non idem esse ipsius carminis tempus eorumque quae ad scuti descriptionem pertineant.

42) Paus. V. 17. 4. III. 18. 7.

43) Conveniunt sane nonnulla Lapitharum nomina cum Homericis Il. I. 262; cui tamen plurima, Centaurorum fere omnia, ignota sunt.

44) De Polygnoto hoc testatur Pausanias X. 25. 2. Cf. Welcker die Compos. der polygnot. Gem. p. 36. Multa exempla e vasorum imaginibus collegit O. Jahn. Einl. p. CXVII.

Centaurorum et Lapitharum nomina iam alii observarunt[45]. — De huius descriptionis genere et origine cum satis mihi videar disputasse, addam pauca quae mihi ad restituendam eius genuinam formam requiri videantur. Videmus enim vs. 186 Mimantem epitheto ornari μελαγχαίτης, unico huius generis in hac imagine neque cum eius describendi genere satis conveniente; nam quomodo crines nigri in argentea figura exprimerentur? In amphorae autem pictura illa inter ipsa nomina propria erat Μελαγχαίτης, quem legimus etiam apud Diodorum (IV. 12.); Μίμας autem neque in artis monumentis neque apud poetas inter Centaurorum nomina invenitur. Itaque sine dubio apud Hesiodum quoque Μελαγχαίτης Centauri nomen est, in Μίμαντα autem aliud nomen latet nobis pro certo haud definiendum[46]. Alterum quod hisce addere volui ex symmetriae cuiusdam ratione singularumque partium aequabilitatis fluit, cuius veteres et poetas et artifices[47] admodum studiosos fuisse scimus. Eam autem in nostra descriptione, qua tam certa imaginis ratio tenetur, paulum abest quominus plene servatam esse videamus; ut de consilio poetae facile nobis persuadeamus. Centauros enim habemus octo, Lapithas novem[48]; illorum deinde nomina tribus, horum vero quatuor versibus enumerata. Est autem inter Lapitharum nomina quo facile careamus Mopsus Ampycides

---

45) Braun Annali XX. p. 383. Müller Orchomenos p. 189. Cf. O. Jahn l. c. not. 864. Apud posterioris aetatis poetas et scriptores complura horum nomina habemus, Diodorum maxime (IV. 12.) et Ovidium (Metam. XII. 210 sq.) qui sine dubio et hunc Hesiodi locum cognitum habuerunt et artis opera respexerunt. Asbolum praebet epigramma apud Philostratum Heroic. 20, 37. Sexaginta Lapitharum nomina noverat Porphyrius schol. Il. I. 266.

46) Suspicatus eram τ' Ἄγριόν τε aut τε Λύκόν τε (Ovid. Met. XI. 332). Propius vero et ad horum nominum naturam et nonnihil etiam ad litterarum similitudinem accedit quod mihi O. Jahnius proposuit, τ' Ἔλατόν τε, cf. Apoll. II. 5. 4. Ceterum ex iisdem artis operibus colligitur formam Centaurorum eam sibi cogitasse poetam qua et in illis et posteriore tempore in omnibus operibus fingerentur, toto equino corpore praeditos cui humani corporis superior pars adderetur. Erravit igitur O. Müllerus etiam hic, quem omnino non recte alteram formam, ubi totum humanum corpus haberent Centauri, antiquiore tempore usitatiorem fuisse arbitratum esse monuit O. Jahn. Archaeol. Aufs. p. 13.

47) Brunn, über den Parallelismus etc. Rhein. Mus. N. F. V. p. 321 sq.

48) Vix moneatur oportet, quod pridem observavit Graevius, praepositione ἀμφὶ ipsas tantum personas significari notissimo dicendi genere.

181, qui ab antiquioribus in Argonautarum numero saepus profertur, inter Lapitharum nomina haud invenitur[49]. De cuius porro vaticinio, quo maxime clarus habebatur inter Argonautas, miramur nihil Hesiodum proferre toto illo versu quo de eo exponat. Quem versum si postea adiectum habemus, restitutam accipimus et imaginis symmetriam, in qua octoni ab utraque parte sese aggrediantur, et ipsius descriptionis, ubi quinis de utrisque versibus exponatur.

Cum hac igitur imagine eam primum comparemus quae praecessit aprorum et leonum pugnae vs. 168—177; quam statim videbis ab illa esse diversissimam. Nam omnium illarum rerum, quibus illic vidimus imaginis rationem significari, hic prorsus nihil invenimus; cum neque materiae indicentur, neque formulae quibus imago ab ipsa re secernatur adhibitae sint; referta deinde sit oratio eiusmodi vocibus quae ad figuram ipsam quae conspiciatur nullius momenti sint; denique descriptio ad Homericum genus narrationi similius accedat eo, quod bestiae illae cum interfectos videant leonem duosque apros magis etiam ad pugnandum incitari dicuntur. Hisce accedit scribendi generis a sequentibus maxima diversitas; haec enim descriptio quantopere sit frigida et ieiuna, cum in sequentibus non possimus non elegantiam quandam agnoscere quisque sentiet[50]. Hanc igitur descriptionem apparet non ex

---

49) De Mopso omnia congessit Burmannus in catal. Argonautarum, Valerii Flacci editioni praemisso. Lapitham eum Strabo nominat IX. p. 443 et Ovidius Met. XII. 456, qui potuerunt hunc ipsum locum respicere.

50) Huc maxime vs. 176. 177 refero quibus eadem fere verba repetuntur quae vs. 168. 169 iam legebantur. Deinde mihi maxime languere videntur versus 170. 171, quibus quod in superioribus iam indicatum fuerat, sese aggressuros fuisse illos, molestis ambagibus et vix ferendo orationis decursu extenditur. His autem versibus mihi aliqua interpolationis suspicio admoveri posse videtur e duobus voculis *τῶν καί*, quae primum ipsae ineptissime scriptae sunt, quasi aliquid novi et inexpectati adderetur, deinde saepius in his Hesiodiis carminibus positae inveniuntur ubi aliis praeterea causis locum esse postea adiectum demonstrari possit; quo mihi pertinere videntur versus Theogon. 458. 910. Scut. 7. 8; quod tamen hic persequi longum est. — De ceteris versibus restituendis bene meritus est Lehrsius, qui vs. 172—175 ita cognovit contrahendos esse

ἤδη γάρ σφιν ἔκειτο μέγας λῖς, ἀμφὶ δὲ κάπροι
δοιοὶ τεθνηῶτες ὑπὸ βλοσυροῖσι λέουσι

in quibus mihi interpolatio fluxisse videtur e verbis ex vs. 268 in margine adscriptis *αἷμ' ἀπέλειβει' ἔραζε.*

earum numero esse, quae ad certi alicuius operis normam conformatae sint [51]; immo poetam persuasum habeo hanc descriptionem Homeri recordationi debere. Is enim primum saepissime ab apris sive leonibus comparationes suas petiit (Il. V. 782. VII. 256. VIII. 378. XI. 413) in quibus vel pugnam inter leones et apros legimus Il. XVI. 823; deinde in ipso Herculis balteo qui describitur Od. XI. 611. ficti esse narrantur

ἄρκτοι ἀγρότεροί τε σύες χαροποί τε λέοντες

quem locum eo magis respexisse nostrum credendum est, cum in eo solo apud Homerum de Herculis armis aliquid praedicetur. Hanc igitur imaginem et sequentem Lapitharum pugnae, et describendi genere et fonte inter se diversissimas, nemo putabit ab uno poeta in eadem descriptione exhibitas esse potuisse.

Ab utraque rursus imagine distare videmus eas quae Lapitharum pugnam secuntur; in quibus primum considerabo duas illas sibi respondentes Martis et Palladis imagines (191—200) [52]. Non desunt in iis indicia quibus prius illud describendi genus agnoscatur; primum enim non relinquitur unum temporis momentum; deinde verbis *ὡςεὶ ζωοὺς ἐναρίζων* 194, *ὡςεί τε μάχην ἐθέλουσα κορύσσειν* 198 imaginis cogitatio inculcatur; postremo materia indicatur equorum 192 et Palladis galeae 199, in personis autem omittitur. Hoc eo fortasse excusares quod e praecedenti imagine eam intellegendam esse diceres; verum in sequentibus imaginibus cum sane eodem modo personarum materia omittatur, in Persei rursus imagine indicatur v. 220. Hic igitur plenam perspicuitatem assequi noluit poeta; cuius rei in ceteris quoque inveniuntur vestigia. Primum qui verba *ὡςεὶ ζωοὺς ἐναρίζων* scripsit, is veram formulae illius vim non satis perspexit; id enim quod de Marte dici expectamus, tam perspicue eum fictum esse quasi viveret, de iis dicitur quibuscum pugnet, de quibus praeterea nihil audimus [53]. Deinde vero maioris momenti illud est, quod pugnae qui-

---

51) Quamquam scio, eiusmodi bestias vario modo antiquissima aetate saepissime fictas esse, cf. Jahn Einl. p. CXLIV. In ipsa amphora Françoisiana habemus leones cum apris pugnantes.

52) Peculiares eas imagines esse habendas propter verba *ἐν δὲ* recte statuit Lehrsius. Antea enim ad Lapitharum pugnam pertinere dei illi credebantur, Schlichtegroll. p. 64. Welcker. p. 577. Müller p. 622.

53) Haec difficultas sane eo mihi evanescere videtur, quod alia praeterea accedunt quibus adducamur ut hunc versum spurium iudicemus; nam nimis multis hoc loco coniunctis participiis (*ἔχων* — *κελεύων* — *ἐναρίζων* —

dem interesse numina illa e verbis *πρυλέεσσι κελεύων*, *πόλεμον καταδύμεναι ἀνδρῶν*, *ἐπὶ δ' ᾤχετο φύλοπιν αἰνὴν* clare perspicitur [54], haec autem pugna a quibus geratur et quomodo in imagine repraesentata sit ne verbo quidem exponitur [55]. Videtur igitur hic poeta certam imaginis formam non sibi cogitasse, genus autem describendi ad illius similitudinem, quod aut ex antecedenti imagine aut aliunde sibi cognitum esset, cuius propriam vim et rationem non perspiceret, imitando conformasse. Cui rei convenit quod leguntur hic etiam talia quae ad narrationem nonnihil accedant, *ἱέμενοι καταδύμεναι* 196, *ἐπὶ δ' ᾤχετο* 200, aut omnino ad visum non pertineant, *βλοσυροῖο, ποδώκεες* 191, *ἐναρφόρος* 192, cuius generis in priore imagine nihil habuimus. Quae cum ita sint, haud

ἐπεμβεβαώς) paulo molestior oratio procedit. Simili ratione infra versum 290 postea adiectum esse videbimus. Et cum propter eandem illam symmetriae legem poetam credi conveniat hos deos, quos sine dubio sibi oppositos esse voluit, aequali etiam versuum ambitu descripsisse, non possum non etiam de versu 193 dubitare. Cuius rei infra luculentum accedere videbimus argumentum.

54) Vidit hoc Hermannus. Lehrsius fieri posse putabat ut haec non de vera pugna acciperentur; quae mira esset dicendi obscuritas et ambiguitas.

55) Hanc difficultatem Hermannus audaciore mutatione removere voluit. Nam cum etiam vs. 237 sq. incertorum populorum de expugnanda urbe bellum describeretur, Gorgonum commemorationi non apte additum, ubi *οἱ δὲ* verba significarent aliquid quod praecessisset, hanc descriptionem coniecit antea cum Palladis imagine coniunctam fuisse hoc modo

200 *αἰγίδα τ' ἀμφ' ὤμοις· ἐπὶ δ' ᾤχετο φύλοπιν αἰνὴν*
236 *δεινὸν δερκομένη· κεφαλῆς δ' ἀμφὶ στήθεσσιν*
Γοργείης ἐδονεῖτο μέγας φόβος· οἱ δ' ὑπὲρ αὐτέων
ἄνδρες ἐμαρνάσθην πολεμήϊα τεύχε' ἔχοντες

quod quidem mihi nullo modo fieri posse videtur. Nam primum quod populi de urbe pugnantes non certo nomine designantur, cum tamen huius rei certa possit imago cogitari, nihil habet offensionis; deinde ne est quidem imago illa eo quo Hermannus putavit cum Gorgonibus coniuncta, cum *ὑπὲρ* praepositio novam scuti aream significet; porro siquidem *Γοργείης κεφαλῆς φόβος* de Gorgone in Palladis aegide conspicua dici voluit, incommode ad aegidem describendam rediret poeta cum iam ad pugnam transisset vs. 200; denique ne tenuit quidem Hermannus quod initio voluerat; qui cum antea id assecuturus esse videretur ut Mars et Pallas ipsi huic pugnae interessent, postea nihilo minus peculiares eis imagines effici voluit (p. 213). Coniunctionem autem Persei imaginis cum obsessa urbe, quam sic prorsus obscuravit Hermannus, multo facilius explicari posse apparebit.

certe credideris ab artis operibus hasce imagines sumptas esse [56], quas contra luculenter demonstrari potest Homeri recordationi deberi. Primum enim quae de Palladis armatura proferuntur, ea omnia copiosius enarrata poeta invenire potuit Il. V. 738 simillimis adeo ipsis verbis. Martis autem comitumque eius Palloris et Pavoris cogitationem patet ortam esse e simillimorum verborum recordatione Il. XV. 119.

καί ῥ' ἵππους κέλετο δεῖμόν τε φόβον τε
ζεύγνυμεν, αὐτὸς δ' ἔντε' ἐδύσετο παμφανόωντα

Coniunctos deinde Martem et Palladem saepissime apud Homerum habemus, Il. IV. 439. V. 430. XX. 358. Od. IV. 439 et in ipsa scuti Achillis descriptione XVIII. 516. Hisce postremo accedit, quo hae imagines a praecedentibus differant, quod singula etiam verba omnia fere ad Homeri imitationem expressa sunt [57]; ut iam nobis contigerit in hac priore descriptionis parte trium diversorum poetarum operam dignoscere. Quorum, cui sequentia adscribenda sint iam quaeramus.

Versibus igitur 201—206 describitur deorum saltantium chorus [58], in quibus Apollo κιθαρίζει, Musae canunt. De huius autem imaginis describendi genere non potest prius iudicium formari quam de eius genuina forma inepto additamento inquinata pro certo nobis constiterit. Verbis enim

θεῶν δ' ἕδος ἁγνὸς Ὄλυμπος·
ἐν δ' ἀγορή· περὶ δ' ὄλβος ἀπείριτος ἐστεφάνωτο
ἀθανάτων ἐν ἀγῶνι·

apparet deorum saltationem et Musarum cantum, quae arcte inter

56) Quod quidem in Martis imagine eo minus est veri simile quia eius figura antiquissimo tempore nondum erat tam certo definita certisque signis exornata; qui ubi proelio interest vix a ceteris pugnantibus distinguitur. Cf. Müller Handb. d. Arch. §. 372. O. Jahn Beschr. No. 48.

57) Cf. ποδώκεες ἔστασαν ἵπποι = ἵπποι ἔστασαν ὠκύποδες Il. X. 569, πρυλέεσσι κελεύων = ἡγεμόνα πρυλέων Il. XV. 517, πόλεμον καταδύμεναι ἀνδρῶν = μάχην καταδύμεναι ἀνδρῶν Il. III. 241, Διὸς θυγάτηρ ἀγελείη Τριτογένεια = eisdem verbis Od. III. 378, denique φύλοπις αἰνὴ apud Homerum notissima, cf. Il. IV. 15 etc

58) Ita recte vocem χορὸς mihi interpretatus esse videtur Welckerus, quod necessarium videtur maxime propter ἐξῆρχον vocem 206, cf. Athen. p. 180 D, Il. XVIII. 606. Müllerus putavit χορὸν hic quoque, ut saepius apud Homerum, locum significare, in quo saltaretur; quod de deis quidem inauditum esset neque omnino satis apte diceretur.

se coniuncta esse debebant, molestissime divelli. In quibus alias praeterea ob causas superiores offenderunt locumque vario modo sanare studuerunt. Primum cum verba *θεῶν δ' ἕδος ἁγνὸς Ὄλυμπος* non essent coniuncta cum praecedentibus nec ferri posset loci commemoratio tam sero posita, D. Heinsius, quem permulti etiam recentiorum secuti sunt, emendanda haec esse sic putavit *θεῶν δ' ἕδος ἄγνυτ'* (resonabat) *Ὄλυμπος*. Sed neque adhiberi ita potuit *ἄγνυμαι* verbum sine addita echus notione (cf. vs. 279 *περὶ δέ σφισιν ἄγνυτο ἠχώ*) neque haec soni significatio in Musarum cantu ferri potest [59]. Relinquerentur etiam sic gravissimae de sequenti versu dubitationes. Quo quidem Hermannus describi putavit forum in quo pretiosissima quaeque venirent; coniunctum igitur eum antea fuisse cum sequenti portus descriptione, quibus omnibus una humanarum fortunarum imago efficeretur; inde iniusto loco a librario quodam positum. Sed huiusmodi forum a portu in quo piscator sedeat diversissimum est, neque unam his rebus imaginem effici velle potuit poeta; quod ipse diversissimus versuum numerus docere potuit. Müllerus eo versu denuo significari putavit deorum consessum Musarum cantum audientium; quod Lehrsius idcirco fieri non posse recte monuit, quia *ἀγορή* non omnem consessum significaret sed eum qui consilii capiendi causa iniretur. Et hunc igitur et praecedentem versum Lehrsius voluit spurium haberi. Sed cum verba *χρυσείῃ φόρμιγγι* aptissima sint et vix deesse possint Apollinis commemorationi, contra verba *ἀθανάτων ἐν ἀγῶνι* 205. prorsus sint superflua et molestam repetitionem prae se ferant (*ἀγὼν = ἀγορή, ἀθανάτων* vs. 201), sic mihi videtur haec descriptio restituenda esse

ἐν δ' ἦν ἀθανάτων ἱερὸς χορός· ἐν δ' ἄρα μέσσῳ
ἱμερόεν κιθάριζε Διὸς καὶ Λητοῦς υἱὸς
χρυσείῃ φόρμιγγι· θεαὶ δ' ἐξῆρχον ἀοιδῆς
Μοῦσαι Πιερίδες, λιγὺ μελπομένῃς εἰκυῖαι [60].

Iam de describendi genere quaeri potest. Quod mihi videtur prioribus duabus Martis et Minervae imaginibus similius esse quam Lapitharum pugnae; nam in universum quidem simplex est et imaginis rationem sequitur (*λιγὺ μελπομένῃς εἰκυῖαι* 206); sed primum

59) Frigidissimum est quod Lennepius proposuit *ἔγγυς Ὄλυμπος*, neque omnino ferri potest quod olim Guietus coniecerat *ᾧγνυτ' Ὄλυμπος*.

60) Eadem dicitur ab editoribus esse Bauermeisteri sententia Obss. in Hes. carm. p. 16, cuius libello mihi uti non licuit.

citharae tantum materia indicatur, non ipsarum personarum; deinde quod Apollo ἱμερόεν κιθάριζε, hoc certe in imagine non conspiciebatur; postremo miramur quod tam incerte tantum deorum chorum nominat, ubi is qui Lapitharum pugnam descripsit sine dubio singulorum nomina enumerasset. Iam intellegimus hic quoque certam imaginis formam poetae oculis non esse obversatam, describendi autem illud genus imitando accommodatam esse argumento aliunde petito. Nam huius similes imagines e veterioris artis monumentis non sunt cognitae, in quibus cum Apollinem et Musas cantantes [61], deinde deorum pompas [62] saepius exhibitas videamus, deorum tamen saltationem nunquam conspicimus. Immo veteriorum imitatione hanc descriptionem ortam esse et e duobus quidem antiquiorum poetarum locis, quos iam Rankius comparaverat, quasi conflatam omnium mihi certissime videtur cognosci posse. Primum enim brevem illam saltationis descriptionem quam Homerus vindemiae imagini addidit Il. XVIII. 569—572, ubi circa puerum canentem saltant ceteri, respexisse nostrum similia verba ἐν μέσσοισι, ἱμερόεν κιθάριζε, φόρμιγγι λιγείῃ ostendunt. Saltationem autem cum ad deos referret, in animo habuit narrationem quam in hymno ad Apollinem vs. 182—206 legimus, in qua prorsus eadem res nonnunquam eisdem verbis exponitur, vs. 182 Λητοῦς ἐρικυδέος υἱός, vs. 184

τοῖο δὲ φόρμιγξ
χρυσέου ὑπὸ πλήκτρου καναχὴν ἔχει ἱμερόεσσαν.

Inde etiam explicari mihi posse videtur, quomodo ea quae vs. 203. 204 inserta leguntur irrepere potuerint; scilicet is, qui narrationem illam accuratius teneret memoria, cum recordaretur verborum illorum vs. 186. 187.

ἔνθεν δὲ πρὸς Ὄλυμπον ἀπὸ χθονὸς, ὥςτε νόημα
εἶσι Διὸς πρὸς δῶμα, θεῶν μεθ' ὁμήγυριν ἄλλων

ea in Hesiodia descriptione redditurus satis inscite eam sic immutavit

---

61) Videmus eos fuisse in arca Cypseli, Paus. V. 18. 1. cf. O. Jahn arch. Aufz. p. 10. Novem Musae in amphora Françoisiana pompae deorum intersunt ad Pelei et Thetidis nuptias euntium. In posteriore quodam vasculo descripto ab O. Jahnio Beschr. No. 805 habemus novem Musas et in inferiore area Lapitharum et Centaurorum pugnam; quas qui ita composuit, respexit sine dubio Hesiodiam descriptionem qualem nos legimus.

62) O. Jahn archäol. Aufs. p. 113.

ἐν δ' ἦν ἀθανάτων ἱερὸς χορός· ἐν δ' ἄρα μέσσῳ
ἱμερόεν κιθάριζε Διὸς καὶ Λητοῦς υἱὸς
χρυσείῃ φόρμιγγι· θεῶν δ' ἕδος, ἁγνὸς Ὄλυμπος.
ἐν δ' ἀγορή, περὶ δ' ὄλβος ἀπείριτος ἐστεφάνωτο.

Divitiarum autem quae in Olympo essent cogitationem sumpsit ex hymn. Merc. 249; verborum autem illorum περὶ δ' ὄλβος etc. simillima leguntur hymn. Ven. 120. Iam ex omnibus quae de hac imagine disputavimus apparuit nihil obstare quominus eam ab eodem poeta profectam esse credamus qui superiores duas Martis et Palladis imagines composuerit; in quibus omnibus animadvertas quaeso aequalem quattuor versuum ambitum (cf. adn. 53).

Imagine quae sequitur exhibetur portus cum delphinibus et piscibus, in cuius ripa piscator cum iaculo sedet (207 215). Quam videmus eadem quae in superioribus habuimus vestigia simplicioris illius describendi generis prae se ferre, formulas κλυζομένῳ ἴκελος, ἀποῤῥίψοντι ἐοικώς, deinde materias accurate indicatas; ubi tamen diversitatem aliquam habemus in eo consistentem quod augetur materiarum numerus; nam delphines argento, portus κασσιτέρῳ, pisces aere facti dicuntur, cum in superioribus aurum tantum et argentum nominatum invenerimus. Quare mihi hoc non e certae imaginis cogitatione fluxisse sed tantum eam ob causam prolatum esse videtur ut splendoris aliqua cogitatio augeretur. Certae deinde imagini neque quod pisces tremere dicuntur convenit neque epitheta illa εὔορμος et ἀμαιμάκετος. Accedit quod huiusmodi imaginem ex artis antiquae monumentis non habemus cognitam, cuius ipsum argumentum cum non e mythica historia sed e vita quotidiana sumptum sit ab eis rebus differt quae antiquissimo tempore plerumque ab artificibus fingebantur. Ad Homericae contra comparationis exemplum quae legitur Il. XXI. 22 hanc imaginem et ipso argumento et singulis verbis expressam esse iam Rankius observavit,

ὡς δ' ὑπὸ δελφῖνος μεγακήτεος ἰχθύες ἄλλοι
φεύγοντες πιμπλᾶσι μυχοὺς λιμένος εὐόρμου
δειδιότες· μάλα γάρ τε κατεσθίει ὅν κε λάβῃσιν [63].

---

63) Verba ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος praeterea leguntur Od. IV. 358. IX. 136. Deinde si revera versus illi e Titanomachia servati (Athen. VIII. p. 277 d)

Quamobrem hanc quoque descriptionem et generis et fontis similitudine cum tribus prioribus convenire, a Lapitharum pugna diversam esse dicendum videtur. — De cuius genuina forma plura mihi monenda restare videntur. Versus primum 209—212 cum aliis vitiis a Lehrsio monstratis laborant, tum molestissimis referti sunt repetitionibus (κλυζομένῳ ἴκελος = νηχομένοις ἴκελοι, δελφῖνες 210 = 212, ἐθύνεον ἰχθυάοντες = ἐφοίτων ἔλλοπας ἰχθῦς). Quamobrem Lehrsius hic duos tantum ab initio versus extitisse statuit, in quibus cum duplex ferretur lectio ἀργύρεοι δελφῖνες ἐθύνεον et δελφῖνες τῇ καὶ τῇ ἐθύνεον, ab inscito quodam homine cetera illa adderentur. Vbi tamen mihi videtur, cum in versu 212 codicum consensu firmetur lectio ἐφοίτων [64], quod de delphinibus multo aptius dicitur quam insolens illud ἐθύνεον [65], veri similius esse hanc fuisse horum versuum genuinam formam

κλυζομένῳ ἴκελος· πολλοί γε μὲν ἄμ μέσον αὐτοῦ
ἀργύρεοι δελφῖνες ἐφοίτων ἰχθυάοντες.

Tum vero admodum dubito de tribus postremis versibus 213—215. Nam primum in Homerica illa comparatione unde haec imago sumpta est, de piscatore nihil dictum est; quod potuit sane noster de suo addere. Deinde autem valde molesta est in his versibus piscium bis repetita commemoratio cum praecessisset ἰχθυάοντες. Denique mihi vestigium superesse videtur unde haec verba imitatione expressa esse dicantur, multo illud quidem posterioris aetatis. Nam simillimum versui 215 initium habemus in Antiphanis comici fragmento [66], in quo hi versus leguntur

---

ἐν δ' αὐτῇ πλωτοὶ χρυσώπιδες ἰχθύες ἔλλοι
νήχοντες παίζουσι δι' ὕδατος ἀμβροσίοιο

ad scuti descriptionem quae in eo carmine legeretur pertinebant (quae Welckeri est suspicio Ep. Cycl. II. p. 409. cf. Bergk de rel. com. att. p. 257); similis argumenti imaginem ex ea sumere potuit noster.

64) Solus Diaconus habet ἐθοίνων, cuius nulla est auctoritas.

65) Invenitur haec vox nonnisi in carmine nostro, eis quidem locis qui alias ob causas postea additi habendi sunt (vs. 156. 257. 286). Hos ipsos locos respexisse videtur grammaticus ille qui Hesiodiam vocem illam dicit (Cramer. anecd. Oxon. p. 55), quo tamen ipse testatur se hanc vocem apud alios scriptores non invenisse. Eandem notionem Hesiodus voce θύειν exprimit (Theog. 873. Op. 619); Homerus θύνειν.

66) Frgm. 109. Mein., ex Problemate comoedia servatum ab Athenaeo X. p. 450 C. Incipit aenigma illis verbis, quod Antiphanem nescio an iure suspicamur ipsum antiquioris alicuius memoriae debere.

ἰχθύσιν ἀμφίβληστρον ἀνὴρ πολλοῖς ἐπιβάλλων
οἰηθείς, μεγάλῃ δαπάνῃ μίαν εἵλκυσε πέρκην.

Hanc in verbo haud admodum vulgari congruentiam casu accidisse nemo putaverit; ab Antiphane autem cum verba illa aptissime sint coniuncta cum ceteris, apud Hesiodum dativus *ἰχθύσιν* molestissimus est et vix ferri potest. Haec igitur verba crediderim inserta esse ab aliquo multo posterioris aetatis poeta qui aenigmatis illius memor esset. Quae si recte disputavi, hanc quoque descriptionem apparet quattuor versibus terminatam esse,

ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος ἀμαιμακέτοιο θαλάσσης
κυκλοτερὴς ἐτέτυκτο πανέφθου κασσιτέροιο
κλυζομένῳ ἴκελος· πολλοί γε μὲν ἂμ μέσον αὐτοῦ
ἀργύρεοι δελφῖνες ἐφοίτων ἰχθυάοντες

itaque omnibus numeris tribus superioribus respondere. Videtur ergo in hisce iam consilium unius alicuius poetae patefactum esse qui seriem imaginum eodem describendi genere versuumque ambitu descriptarum exhibiturus esset.

Venio ad omnium diiudicatu difficillimam Persei festinantis descriptionem, in qua mirum in modum permixta habemus diversissima describendi genera (vs. 216 sq.). In cuius maiore parte certa imago simpliciter et perspicue describitur, materia plene indicata (nam Perseus ipse auro factus gladium portat aeneum Medusamque in argentea pera aureis propendulis ornata) formulaque *σπεύδοντι καὶ ἐρρίγοντι ἐοικὼς* vs. 228 adhibita. Ab hisce primum verba *ὁ δ' ὥςτε νόημ' ἐποτᾶτο* v. 222 discrepant, quae comparatio imagini non convenit; distant porro quaecunque vs. 229 sq. de Gorgonibus Perseum persequentibus dicuntur, quibus a descriptione ad narrationem transiri sentimus (*ἐρρώοντο, ἱέμεναι μαπέειν*) ornatam grande sonantibus epithetis *ἄπλητος*, *οὐ φατός*, cum de Gorgonum figura et amictu nihil proferatur, immo inserantur quae cum artis natura pugnent (vs. 232. 235). Maxime autem a ceterorum simplicitate abhorret mirum illud commentum quod 217—219 de Perseo legitur

οὔτ' ἄρ' ἐπιψαύων σάκεος ποσὶν οὔθ' ἑκὰς αὐτοῦ,
θαῦμα μέγα φράσσασθαι, ἐπεὶ οὐδαμῇ ἐστήρικτο.

Quae verba qui explicando ad artificii rationem referre conati sunt [67], poetae mentem mihi non intellexisse videntur, qui miracu-

---

67) Schlichtegrollius (p. 76) de figuris ut in opere anaglypho multum

lum proferre voluit ab humano artifice haud perficiendum; eam autem ipsam ob causam hic Vulcani mentio inicitur, qui in superioribus nusquam erat nominatus. Quo quidem luculentissimo utimur argumento, postea additos esse hos versus; cui praeterea accedit, quod eius poetae consilium, qui hos versus composuit, quibus voluit certe volitationis celeritatem aliquo modo exprimere, differt a ceterorum ratione, quibus apertum est voluisse poetam primum figuram Persei describere, tum vero demum de eius festinatione exponere v. 228. His igitur versibus, quos qui inseruisse videatur postea indicabo, resectis leni mutatione cursum orationis sic restituimus

ἐν δ' ἦν ἠϋκόμου Δανάης τέκος, ἱππότα Περσεύς,
χρύσεος· ἀμφὶ δὲ ποσσὶν ἔχε πτερόεντα πέδιλα.

Ceterae illae difficultates priusquam removeantur, mihi quaerendum videtur de fonte huius descriptionis; quam cum magnam quidem partem severum illud genus prae se ferre appareat, iure nostro suspicamur ab artis operibus petitam esse. Perseum autem eo quo hic describitur habitu post interfectam Medusam fugientem saepissime in veterrimae artis monumentis conspicimus. Videmus eum in vasculi Vulceis reperti [68] imagine nigro colore picta talaribus, stricta veste et orci galea indutum, κίβισιν et ἅρπην manibus tenentem et extentis pedibus fugientem; praeterea Medusam abscisso capite in terram proiectam, denique Palladem cum aegide gladioque. Prorsus eodem modo repraesentatus est in eis imaginibus in quibus Gorgones eum persecuntur. Huc pertinet vasculi antiquissimi temporis [69] imago, in qua Perseum manibus pedibusque extentis fugientem et κίβισιν in tergo ferentem sequitur primum Mercurius ipse festinans, deinde Gorgones duae horrenda facie, strictis vestibus indutae alisque praeditae quantumque possunt festinantes; postremo videmus ipsam Medusam in terra iacentem cum Pegasi capite. Eiusdem generis vasculi imaginem Gerhardus publici iuris fecit [70], in qua Perseus eodem corporis habitu, pelle, alatis tala-

---

extantibus dicta putavit; Hermannus Perseum clavo scuto affixum cogitari voluit (ut Aesch. Sept. 547); Müllerus miram tantum perspicuitatem imaginis exprimi. Quibus omnibus verba οὐδαμῇ ἐστήρικτο et θαῦμα μέγα φράσσασθαι obstare unusquisque videt.

68) Publici iuris facti ab Levezovio, Entwicklung des Gorgonenideals Fig. 23. p. 57. Cf. O. Jahn Beschr. No. 1187.

69) Levezow Gorgonenideal Fig. 21 p. 60.

70) Gerhard auserl. Vasenb. II tab. 88 O. Jahn Beschr. No. 619.

ribus et orci galea indutus peramque in tergo ferens per aërem avolat, secuntur autem eum duae Gorgones prioribus illis prorsus similes; adsunt praeterea Minerva, Mercurius et interfectae Medusae corpus. Hanc autem imaginem frequentem fuisse antiquissima aetate eo videmus quod etiam in arca Cypseli ficta erat [71]. In omnibus autem quas commemoravi imaginibus non prorsus aequalis argumenti eandem semper habuimus figuram Persei manus pedesque eodem modo extendentis, deinde peram quidem et orci galeam ubique ferentis et plerumque etiam alatis talaribus instructi, harpen autem raro manibus tenentis [72]. Quibus adducimur ut persuadeamus nobis de aliquo fugientis Persei figurae quasi archetypo opere omnibus illis rebus instructae quae imaginibus illis communia essent. Talis autem operis inde quoque testimonium accipimus quod a pluribus scimus Perseum hoc modo fictum esse solum sine additis aliis figuris. Fecerat enim eum primum Pythagoras Rheginus [73], deinde Myron [74]; quorum opera plures posterioris aetatis artifices imitati esse videntur [75]. Cum hac igitur imagine apparet Hesiodiam descriptionem tantopere convenire ut non possit non ex eius notitia fluxisse; nam etiam hic habemus festinantem Perseum omnibus illis rebus praeditum quas in operibus illis habuimus. Quo cognito certius iam poterit iudicari de eis descriptionis nostrae partibus, quas imaginis rationi haud convenire vidimus; quarum primum accuratius consideremus postremam partem, qua Gorgones describuntur. Vidimus sane, Gorgones Perseum persequentes saepe ab artificibus repraesentatas esse; unde aliquis versus illos apud Hesiodum non esse sollicitandos existimaverit. Imaginem autem ab artis operibus sumptam esse, hoc non ex eo solo cognoscitur quod

---

71) Pausan. V. 18. 1. *„αἱ δὲ ἀδελφαὶ Μεδούσης ἔχουσαι πτερὰ Περσέα εἰσὶ διώκουσαι· τὸ δὲ ὄνομα ἐπὶ τῷ Περσεῖ γέγραπται μόνῳ."*

72) Cf. Apollod. II. 4. et schol. Ap. Rh. IV. 1091. 1515. quorum auctor est Pherecydes.

73) Dio Chrys. 37, 10.

74) Pausan. I. 23. 8 *„καὶ Μύρωνος Περσέα τὸ ἐς Μέδουσαν ἔργον εἰργασμένον,"* quae verba sic tantum explicari possunt, ut secum portasse illum credamus Medusae caput et festinanter aufugisse; nam alioquin illud non potuit agnosci, quod dicitur perpetrasse facinus istud.

75) Conspexerat talem imaginem Euripides, Electr. 458. Quam videmus porro in nummis (Cadalvène Recueil pl. 4, 27) et speculis Etruscis (Gerhard etrusk. Sp. II. 121. 123).

inveniuntur eiusmodi opera, sed describendi genus eis respondere oportet; quod quidem hoc loco tam diversum esse a superioribus apparuit ut haec ab eodem poeta profecta esse non potuerint. Immo ne conveniunt quidem quae de Gorgonibus dicuntur cum operibus illis; nam cum expectemus de festinatione et amictu Gorgonum similiter ut de Perseo aliquid dici, nihil eiusmodi legimus, nisi huc pertinere dixeris versum 233, in quo Gorgones in zonis habere dracones dicuntur; sed hoc ipsum in artis operibus nusquam conspicitur. Deinde extitisse imagines in quibus Perseus solus repraesentatus esset cum aliunde tum ex ipsis illis amplioris ambitus imaginibus cognovimus. Sed praeter describendi generis diversitatem accedunt ex ipsis verbis sumpta vestigia, quibus cognoscamus quomodo haec postea inserta sint [76]. Nam si hos ipsos versus accuratius consideramus

228 αὐτὸς δὲ σπεύδοντι καὶ ἐρρίγοντι ἐοικὼς
Περσεὺς Δαναΐδης ἐτιταίνετο. ταὶ δὲ μετ' αὐτὸν
Γοργόνες ἄπλητοί τε καὶ οὐ φατοὶ ἐρρώοντο

facile sentimus ea quae versus 229 initio leguntur prorsus esse superflua; nam Persei et nomen et stirps iam supra prolata erant; praeterea vocis Δαναΐδης prima syllaba non recte producitur. Haec igitur sine dubio eam ob causam inserta sunt ut sequentia cum superioribus coniungerentur, quorum antea diversa fuerat ratio; ipsam autem Persei descriptionem antea versu 228 finitam fuisse censeo; id

---

76) Afferrem hic etiam vocis ἄπλητος veteriori poesi non convenientem notionem, nisi scirem omnia in quibus de tempore carminis quaereretur incerta esse. Breviter tamen hoc loco significabo quid mihi de hac voce statuendum videatur. Atque duarum formarum ἄπλαστος (= ἄπλητος) et ἄπλητος (= ἄπλατος) eam antiquiore tempore videmus esse rationem, ut prior illa a πελάζω derivata habeatur (Hes. theog. 151. 153. Op. 148) altera vero cum ἀπλήρωτος notione conveniat (Theog. 315. 709. Hymn. Cer. 83. Simon. fragm. de mul. 34). Posteriore aetate prorsus inversam esse rationem et ἄπληστος eum significare videmus qui satiari nequeat (Theogn. 109. Aesch. Ag. 102. Soph. El. 1328) ἄπλητος autem sive ἄπλατος eum ad quem nemo accedere audeat (Pind. Pyth. I. 21. XII. 9. Aesch. Prom. 371. Soph. Ai. 259. Trach. 1093, unde fluxit Hesychii interpretatio ἀπρόσιτος). Hac igitur notione quater in carmine nostro adhibitum legimus, vs. 147. 230. 250. 268. Erravit autem Mützellius, cum de emend. theog. p. 54 sq. ἄπλητος apud antiquiores utraque notione adhibitum inveniri diceret, exemplis usus theog. v. 153, ubi optimi codices habent ἄπλαστος, et scuti locis illis suapte natura incertis.

quod eo etiam confirmatur quod formulae illae ἐοικώς voce terminatae semper in fine sententiae leguntur [77]. In hoc autem primum desideratur verbum finitum, praeterea verba αὐτὸς δὲ satis sunt superflua, ac ne prorsus quidem recta; nam si haec revera ita coniungenda fuissent αὐτὸς μὲν requiri Lehrsius recte censuit. Itaque non longe a vero aberrabimus si versum ab initio talem fuisse statuimus

ἔπτατο δὲ [78] σπεύδοντι καὶ ἐρρίγοντι ἐοικώς.

Iam restat ut de tota priore descriptionis parte quaeramus. In qua iam supra vidimus verba ὁ δ' ὥςτε νόημ' ἐποτᾶτο huius imaginis rationi haud convenire; quae eam praeterea ob causam sic ut leguntur offensionem praebent, quia inconcinne Persei amictus descriptioni iam nunc inseritur festinationis commemoratio, quae repetitur vs. 228. Accedit quod primum talarium (220) materia non indicatur, deinde contra imaginum quas comparavimus rationem ensem circa humerum ferre dicitur Perseus, quod in operum illorum nullo habuimus. Videmus igitur poetam in priore descriptionis parte non certam imaginis formam tenere; quae profecto memorabilis est describendi generis discrepantia. Deinde adspicias quaeso quam miris ambagibus versibus 223—225 Perseus narretur Medusae caput auferre. Integro enim versu de capite quod non conspicitur exponit; quod cum dicere vult in pera fuisse reconditum, artificiose hoc ita exprimit peram illud circumdidisse, ἀμφὶ δέ μιν κίβισις θέε. Quibus omnibus accedit incommode in his versibus saepius repetita praepositio ἀμφί (περί), vs. 220. 221. 224. 226. Quae cum bis eodem versus loco reperiatur, vs. 220. χρύσεος· ἀμφὶ δὲ et vs. 224. Γοργοῦς· ἀμφὶ δέ μιν, certissimum mihi hinc petendum videtur duplicis recensionis vestigium, quo facto omnes istae dubitationes evanescunt. Priorem igitur hos versus continuisse existimo

ἐν δ' ἦν ἠϋκόμου Δανάης τέκος, ἱππότα Περσεύς,
χρύσεος· ἀμφὶ δὲ ποσσὶν ἔχε πτερόεντα πέδιλα
ὤμοισιν δέ μιν ἀμφὶ μελάνδετον ἄορ ἔκειτο
χάλκεον ἐκ τελαμῶνος· ὁ δ' ὥςτε νόημ' ἐποτᾶτο:

in qua iam vides festinationis commemorationem apte in fine esse collocatam; ipsius autem descriptionis eam esse naturam ut neque

77) Cf. vs. 206. 209. 215. 314. Theocr. I. 41. Apoll. Rh. I. 739. 764.

78) Hanc vocem si propter v. 222 non bene excogitatam putaveris, videbis contra illo quidem versu mirum in modum confirmari.

certae imaginis formam neque omnino artificii rationem severe teneret. Et hac autem re et quattuor versuum ambitu eam accedere cognosces ad priorum imaginum summam similitudinem; quibus quin ab eodem poeta addita sit spero fore ut non dubites. Quod quidem ipsa comparatione illa ὥςτε νόημα adiuvari videbis; ea enim ipsa verbum in hymni ad Apollinem loco illo leguntur unde deorum chori descriptionem fluxisse vidimus. Cogitavit autem Perseum sine dubio ad Medusam festinantem ut eam interficeret. — Huius igitur descriptionis loco copiosior paulo et ad artis monumentorum similitudinem conformata substituebatur haece

ἐν δ' ἦν ἠϋκόμου Δανάης τέκος, ἱππότα Περσεύς,
χρύσεος· ἀμφὶ δέ μιν κίβισις θέε, θαῦμα ἰδέσθαι,
ἀργυρέη· θύσανοι δὲ κατηωρεῦντο φαεινοὶ
χρυσείοι [79]· δεινὴ δὲ περὶ κροτάφοισιν ἄνακτος
κεῖτ' Ἀΐδος κυνέη νυκτὸς ζόφον αἰνὸν ἔχουσα.
ἔπτατο δὲ σπεύδοντι καὶ ἐῤῥίγοντι ἐοικώς.

Aptissime iam vides de ipso Perseo, cuius tergum pera circumdat, verba dici ἀμφὶ δέ μιν κίβισις θέε [80]; ensem autem et alata talaria haud aegre desiderabis, quae in pluribus imaginum illarum non habuimus; Medusae denique nomen quae non conspicitur recte omittitur. Hae igitur descriptiones postea versu 223 inserto coniungebantur; quem unde sibi conformaverit consarcinator ille, infra videbimus luculentum vestigium inveniri [81].

Quinque igitur imaginum seriem accepimus ita inter se convenientium, ut eas ab uno poeta profectas habere nemo dubitaturus sit, Martem, Palladem, deorum chorum, portum et Perseum; quae et describendi genere inter se congruunt et aequali singulae quattuor versuum ambitu describuntur. Hiscc autem praecedentes duas et inter se et a sequentibus diversissimas esse cognovimus; de quarum ratione postea exponetur. Nunc enim primum de earum imaginum serie quaeram, quae Persei descriptioni additae leguntur; quae quantopere ab omnibus superioribus diversae sint quamquam

---

79) Haec verba videri possunt Homeri imitatione orta esse, Il. II. 448. τῆς ἑκατὸν θύσανοι παγχρύσεοι ἠερέθονται.

80) Guietus iam voluerat pronomen μιν de Perseo accipi; quod quidem sic quomodo haec vulgo coniuncta leguntur fieri non posse apparet.

81) Mirum de his verbis extat testimonium in additamento quodam ad Apollodori II. 4. 2. adscripto, quo et Pindaro et Hesiodo tribuuntur; nisi forte verba illa corrupta sunt.

puto a Lehrsio satis luculenter demonstratum esse, tamen qua ratione insertae illae et qua via paulatim auctae sint videtur mihi paulo certius definiri posse.

Duarum igitur urbium ex Homerica scuti Achillis descriptione sumptarum primum alteram voluptatibus diversi generis splendentem (270—313), quae apud Homerum prima est (Il. XVIII. 491—508), considerabo. Atque duarum rerum quas Homerus in ea accidere narrat, nuptiarum et litis civium, priorem solam videmus nostrum imitatione expressisse v. 272—280, ipsis plerisque verbis ex Homero petitis, *ἤγοντο* 274 = *ἠγίνεον* Hom. 493, *αἰθομένων δαΐδων* 275 = *δαΐδων ὕπο λαμπομενάων* 492, *πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει* 274 = H. 493, deinde vs. 277 sq.

τοῖσιν δὲ χοροὶ παίζοντες ἕποντο.
τοὶ μὲν ὑπὸ λιγυρῶν συρίγγων ἵεσαν αὐδὴν,
[ἐξ ἁπαλῶν στομάτων, περὶ δέ σφισιν ἄγνυτο ἠχώ.]
αἱ δ' ὑπὸ φορμίγγων ἄναγον χορὸν ἱμερόεντα.

conformatis ad exemplum Homericorum vs. 494

κοῦροι δ' ὀρχηστῆρες ἐδίνεον, ἐν δ' ἄρα τοῖσιν
αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχον.

Addita deinde brevi comissationis descriptione (281—283) non ex Homero petita transit poeta ad enarranda ea quae ante urbis portas accidant, ipso consilio ab Homero alieno; in quibus primum equitatum commemorat v. 285; deinde breviter reddit Homericas segetis, messis et vindemiae imagines 287—300, quarum unaquaeque apud illum propriam imaginem efficit (541—549, 550—560, 561—572), ubi rursus singulas voces illinc petiit, *ἀροτῆρες* 286 = 512, *βαθὺ λήϊον* 288 = 550, *ἤμων αἰχμῇς ὀξείῃσι* 288. 289 = *ἤμων ὀξείας δρέπανας ἐν χερσὶν ἔχοντες* (= Hes. 292.) 551 [82], *ἐν ἐλλεδάνοισι δέον* 291 = 553, *ἐτρύγων* 292 = *τρυγόωεν* 566, *ἐν ταλαροῖς ἐφόρευν* 293 = *πλεκτοῖς ἐν ταλαροῖσι φέρον* 562, *μέλανες βότρυες* 291 = 562, *ἀργύρεαι κάμακες* 298 = 563, *βριθόμενος σταφυλῇσι* 295 = *σταφυλῇσι βρίθουσαν ἀλωὴν* 561. Quibus peractis adicit pugilatum et luctationem 301, venationem 302—304, denique curruum certamen 305—313, quorum omnium nihil apud Homerum legimus. — Haec vero omnia non ab uno homine esse

82) Videmus non prorsus firma memoria poetam illa imitatum esse, qui haud perspicue distingueret, quae apud Homerum ad diversas imagines pertinerent.

conscripta, cum e mira illa rerum diversissimarum coacervatione partim ab Homero sumptarum partim ex ipsius poetae ingenio profectarum, tum vero eo recte affirmamus quod maxima cum obscuritate et neglegentia haec omnia coniuncta sunt. Atque in eis primum quae extra urbem fiant tria maxime reprehendenda esse Lehrsius rectissime intellexit; primum quod haec omnia, quae inter se maximopere sint diversa, tam diverso singula verborum ambitu describantur; deinde quod non sint coniuncta quae ipsius rei similitudo coniuncta esse postulaverit; postremo quod nusquam fere singularum partium termini pro certo dignoscantur. Haec duo quae postremo loco posui in eis maxime locum habere apparet, quae ad agriculturam pertinent. Hisce enim primum divelluntur equitatus 285, pugilatus et luctatio 301, quae inter se similia sunt; tum vero in illis potissimum singularum rerum terminos haud certo dignosci dicere possumus (cf. 288. 292); quibus accedit quod agriculturae descriptio ipsa ab Homero sumpta eis inserta legitur quae ab Homero aliena sunt. Ipsam nunc verborum coniunctionem si adspicimus, videmus agriculturae descriptionem sine ullo sententiae aut constructionis dispendio eximi posse; cuius rei tam certa verbis insunt vestigia ut cum istis offensionibus quas antea exprompsi coniuncta nihil dubitationis relinquant. Verba enim quibus certamina continuantur *οἱ δ' ἐμάχοντο* 301 eodem versus loco leguntur quo ea quibus agricultura incipit, *οἱ δ' ἀροτῆρες* 286; illa vero quae versus 301 initio leguntur *οἵ γε μὲν ἐτράπεον, τοὶ δ' ἤρυον* neque Homeri exemplo orta sunt et vindemiae descriptionem incommode augent diverso ab illa negotio. Quamobrem nullus dubito quin omnibus istis antea omissis haec fuerit genuina verborum coniunctio

285/301 *νῶϑ' ἵππων ἐπιβάντες ἐϑύνεον. οἱ δ' ἐμάχοντο*
πὺξ τε καὶ ἑλκηδόν.

quorum loco alius Homericam illam agriculturae descriptionem recitaverit versu aut 295 aut 298 (seu 300) finitam [83]. — Sed ne

83) Trium enim hic recensionum vestigia Dindorfius (adnot. ad h. l.) detexit, primam vs. 293—295, alteram eorum loco vs. 296—298, tertiam pro 298 vs. 300 exhibentem (vs. 299 ab optimis codicibus abest); quarum altera id agi videtur ut proferatur aliquid quod ad artificium spectet; indicatur enim materia et Vulcanus scuti artifex nominatur. — Sed praeterea in hac agriculturae descriptione versum 290

ea quidem quae iam ex eorum numero quae extra urbem fieri dicuntur ut genuina retinuimus ita comparata sunt ut ea sic ab uno homine exhibita esse credere possimus. In quibus summo cum iure Lehrsius diversum verborum ambitum notavit; nam cum primum equitatu, deinde pugilatu et luctatione vix singuli versus expleantur, curruum certamen novem integris versibus describitur. Cuius argumenti vis eo non infirmatur, quod hanc descriptionem ab initio breviorem fuisse pro certo cognosci potest. Nam si describendi generum discrimen illud in ea adhibemus, invenimus quae sibi prorsus sint contraria; cum in prioribus versibus certae imaginis cogitationem prorsus omitti orationemque ad concitatam propemodum narrationem accedere videamus (308. 309) ubi curruum rotas sonasse adeo poeta dicit contra imaginis naturam (309), contra postremis versibus artificii cogitationem retineamus materia indicata et Vulcano nominato. Quibus cum primum vocis *ἄεθλον* (305. 311) deinde maxime incommoda verborum *ἔχον πόνον* (305. 310) repetitio accedat, pro certo mihi effici videtur duplicem hic recensionem huius imaginis coniunctam esse utramque eodem versu incipientem, alteram versibus 305—309 comprehensam,

305 *πὰρ δ' αὐτοῖς ἱππῆες ἔχον πόνον, ἀμφὶ δ' ἀέθλοις*
δῆριν ἔχον καὶ μόχθον etc.

alteram versibus 310—313 [84],

πὰρ δ' αὐτοῖς ἱππῆες ἔχον πόνον, οὐδέ ποτέ σφιν
νίκη ἐπηνύσθη, ἀλλ' ἄκριτον εἶχον ἄεθλον.
τοῖσι δὲ καὶ προὔκειτο μέγας τρίπος ἔντος ἀγῶνος,
χρύσειος, κλυτὰ ἔργα περίφρονος Ἡφαίστοιο

quae cum coniungerentur, inserebantur quae versus 310 initio leguntur, in quibus primum *ἀΐδιος* vocabulum epicis poetis non esse usitatum observavit Hermannus, deinde molestissime contra metrum

---

βριθόμενα σταχύων, ὡςεὶ Δημήτερος ἀκτὴν

plures ob causas suspectum habeo. Cuius prior pars ad versus 295 sive 300 similitudinem confecta est: in altera vero verbum *ὡςεὶ* sensum non habet, quo apparet voluisse aliquem imitari formulas illas imaginis rationem significantes, quarum tamen vim non perspiceret. *Δημήτερος ἀκτὴ* sumptum ex Op. 461.

84) Hanc autem ab eodem homine profectam existimo, eodemque consilio conscriptam, quo alteram vindemiae recensionem (296—298), ubi versus 297 et 313 inter se simillimos esse videbis.

peccatur [85]. Hanc autem curruum certaminis descriptionem etiam sic ut fecimus in brevius contractam et versuum ambitu et ipsa describendi ratione a prioribus illis certaminibus distare vides; ea enim verbo tantum commemorantur, curruum autem certamen copiose describitur. Quibus accedit primum, quod his certaminibus, quae cum inter se similia essent coniuncta esse debebant, non concinne interponitur venatio, quae ferri posset in fine posita; deinde quod vel similiora inter se erant equitatus (285) et curruum certamen (*ἱππῆες*) quam quae ab uno poeta quasi diversa in una imagine exhiberentur [86]. Quibus omnibus mihi effici videtur, priora

---

85) Nam plurimi codices exhibent *οἱ μὲν ἄρ' ἀΐδιον ἔχον πόνον*, nonnulli *εἶχον*, cum in solo Mediceo 3. Goettl. (Flor. B. Lenn.) inserta particula *δὴ* legatur. Codex autem ille quamvis omnium qui carmen nostrum servarint antiquissimus sit, haud tamen dici potest sincerius quam ceteri genuinae lectionis testimonium praebere; cuius scribam cognoscere licet pluribus locis poetae verba suo ipsius arbitrio, plerumque metrorum restituendorum causa, immutasse. Huc pertinent verborum transpositiones *Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός* v. 202 et *ἐπὶ δεινοῖσιν δὲ χαρήνοις* v. 236, quorum causam facile cognoscimus; tum verba *ὅτε περ* v. 397, cum in libris traderetur *ὅτε*, veram autem lectionem *ὅτε τε* firmatam versu Il. II. 471. praebeat Etym. M. p. 465, 38; plures denique Theogoniae loci, maxime v. 32 *ὄφρα κλύοιμι* pro *ἵνα κλύοιμι*, corrupto ex *ἵνα κλείοιμι*. Horum igitur numero etiam *δὴ* illud v. 310 adscribendum est, quod metri restituendi causa inseruit huius codicis scriptor. De quo codice pauca addam. Duarum enim scuti codicum familiarum quas recte distinxit Rankius p. 322 sq. cum prima (cui praeter Rankianos libros e Lennepianis adnumerandus est Flor. C = Med. 1 Goettl.) nonnullis locis ita convenit Med. 3. ut cum illorum exemplo archetypo communem fontem habuisse dicendus sit. Communes enim ei sunt cum illis depravationes *πόληας* pro *πόληα* v. 105, omissa *νυ* particula v. 116, *διαπραθέειν* pro *πραθέειν* v. 210, *δονέοντο* pro *ἐκλονέοντο* v. 357, maxime autem memorabilis *ἱερσήν* pro *ἀοιδήν* Theog. 83. (cf. Mützell. p. 386) etc., propriae autem ipsi sunt corruptelae velut *φεύξασθαι* pro *φεύξεσθαι* v. 112, *Πιερίηδες* pro *Πιερίδες* v. 206, *ἐλάειν* pro *ἐλέειν* 337, omissus vs. 378, omissum *δεινόν* verbum 438.

86) Hoc etiam confidentius contendere ausim, si recte suspicer poetam tribus istis prioribus recordatum esse certaminum illorum quae Homerus Il. XXIII. 262 sq. in Patrocli honorem celebrata esse narrat, quorum prima sunt curruum certamen (*ἱππεῦσιν ποδώκεσιν* 262), *πυγμαχίη* (653) et *παλαισμοσύνη* (700); quam respexisse nostrum prodire videtur e voce *ἑλκηδόν*, cf. *ἑλκόμενα* Il. 23. 715. Tum enim si pro curruum certamine noster equitatum substituit, certe non poterat praeterea curruum certamen addere.

illa certamina et curruum certamen non ab eodem poeta profecta esse. Quod quomodo accuratius explicandum videatur, postea indicabo. Nam sic quoque multum mihi abesse videtur, quominus huius imaginis pristina forma restituta sit. In cuius priore parte in ipsis verbis apertissima conspiciuntur interpolationis vestigia ab Hermanno monstrata; qui mihi tamen ipse in restituendo genuino versuum ordine haud feliciter versatus esse videtur. Qui cum ferri non posse iudicaret primum repetitum *πρόσθ' ἔκιον* 278. 284., deinde similia verba *ἀγλαΐαις τε χοροῖς τε* v. 272. et *θαλίαι τε χοροί τε ἀγλαΐαι τε* 284, postremo simillimos inter se versus 282. 283.

τοί γε μὲν αὖ παίζοντες ὑπ' ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ,
τοί γε μὲν αὖ γελόωντες ὑπ' αὐλητῆρι ἕκαστος

triplicem hic recensionem cognosci arbitratus est, quarum prima versus 270—281 et 292 sq. continuisset; ubi tamen primum vs. 281 haud apte nuptiis additur, cuius diversa est notio, deinde agriculturae descriptio ab Homero petita divellitur. Alteram recensionem comprehendisse putat vs. 270-274 omissis verbis *τοὶ δ' ἄνδρες — ἔχον* mutatisque *τοὶ μὲν γὰρ* in *τοὶ δ' ἔνδον*, quae responderent versui 285, deinde vs. 282 et 284 — 291. Sic vero divellitur nuptiarum descriptio, quam credi convenit unum poetam ab Homero totam recepisse. Tertiam denique constitisse voluit versibus 270 — 274, 283 et 287 sq., ubi ne saltatio omitteretur, *ἤρεικον* in *πέπληγον* mutandum esset; quam quidem minime omnium ferri posse puto; ea enim quae secuntur apparet nullo modo posse ad saltationem pertinere; deinde sic quoque agriculturae initium obscuratur. — Mihi ut de his recte iudicetur hic quoque distinguenda esse videntur quae ab Homero petita sint, quae non sint; in his enim certissime plurium poetarum consilium perspicitur. Totum autem illud consilium addendorum talium quae extra urbem fierent vidimus ab Homero alienum esse; neque cum imaginis cogitatione (nisi eam ingentis magnitudinis fuisse arbitramur) apte conciliari posse videtur, quod in ipsa urbe nuptiae celebrantur, ante portas autem eius diversi generis oblectationes conspiciuntur. Nunc vero ipsa eorum quae extra urbem fiant descriptio verbis *πρόσθ' ἔκιον* e versu 277 repetitis introducitur, eis autem adduntur verba illa *θαλίαι τε χοροί τε* versui 272 simillima, quibus praeterea breviter comprehendi videntur quae 277 — 280 de saltatione dicta erant. Quibus rebus certissime mihi cognosci videtur duplex recensio. Prima enim ea-

que genuina nuptiae tantum describebantur usque ad versum 280[87], eorum autem quae extra urbem fierent nihil legebatur; altera vero saltatio (277—280) omittebatur sive potius brevissime comprehendebatur (284), continuo autem post vs. 276 quae extra urbem fierent describebantur hoc modo

276 χερσὶν ἐνὶ δμωῶν. ταὶ δ' ἀγλαΐῃ τεθαλυῖαι
284 πρόσθ' ἔκιον· πᾶσαν δὲ πόλιν θαλίαι τε χοροί τε
ἀγλαΐαι τ' εἶχον. τοὶ δ' αὖ προπάροιθε πόληος etc.

Hae vero recensiones cum postea coniungerentur, ne alterum πρόσθ' ἔκιον sine coniunctione prioribus adderetur, insertam esse puto brevem illam comissationis descriptionem vs. 281 sq.[88], quam haud commode cogitaveris in ipsa iam priore recensione, in qua omnia ab Homero sumpta erant, additam esse; quod cum argumenti diversitate, tum etiam nimis diverso versuum numero mihi confirmari videtur[89]. — Genuinam igitur e tota hac imagine nonnisi nuptiarum descriptionem ab Homero petitam retinuimus.

Itaque iam ad praecedentem imaginem pergamus, qua pugna de obsidenda urbe describitur vs. 236—270. Hic quoque praeter cetera ea secernenda erunt quae ad Homericorum verborum imitationem (Il. XVIII. 509—540) expressa sint. Versibus primum 237—240 breviter comprehendi videri possunt quae apud Homerum multo copiosius narrantur, quamquam neque re neque verbis omni ex parte cum eis conveniunt (comparare tantum possis πραθέειν 240 cum διαπραθέειν Il. 18. 511). Quae deinde vs. 241—248 de mulieribus in turribus clamantibus senibusque extra portas precantibus exponuntur, his ea redduntur quae Homerus duobus versibus 514. 515. protulerat

---

87) In quibus tamen de v. 278 ἐξ ἁπαλῶν στομάτων, περὶ δέ σφισιν ἄγνυτο ἠχώ admodum dubito. Nam mollia ora illa quid sibi velint nemo dicat; echus significatio imaginis naturae non convenit, verba autem sumpta e versu 348.

88) In qua versus 283 sine dubio postea additus est habendus; nam primum τοί γε μὲν αὖ verbis oppositio fieri nequit, deinde verba ὑπ' αὐλητῆρι ἕκαστος prorsus sunt superflua cum totus comus ὑπ' αὐλοῦ celebretur v. 281.

89) Comissationum morem ad posteriorem aetatem esse referendum observavit Heinrichius p. LIX. Unde tamen certi nihil colligi posse apparet, quod nobis alicuius momenti sit.

τεῖχος μέν ῥ' ἄλοχοί τε φίλαι καὶ νήπια τέκνα
ῥύατ' ἐφεσταότες, μετὰ δ' ἀνέρες οὓς ἔχε γῆρας.

Omnium denique quae vs. 248—270 de numinibus in pugna praesentibus dicuntur, nihil apud Homerum invenitur, qui tantum vs. 535—538 de una Kere in pugna versante loquitur; unde sane consilium describendarum Kerum sumpsisse videri potest noster; sed prorsus diversa ratione ipsisque verbis diversis hanc rem persequitur. Huic tantum verba 252—254

ὃν δὲ πρῶτον μεμάποιεν
κείμενον ἢ πίπτοντα νεούτατον, ἀμφὶ μὲν αὐτῷ
βάλλ' ὄνυχας μεγάλους, ψυχὴ δ' Ἀϊδόσδε κατῄει [90]

obstare videntur, quae et argumento ipso et voce νεούτατον ad Homericorum versuum exemplum conformata esse videntur. Concurrunt autem in his versibus complura quibus gravissime offendamus; primum verbum βάλλ' v. 254 singulari numero exhibitum; ubi posses Hermanni explicationem, unam Kerem mutata constructione intellegi, sequi, nisi molestissimus tum rursus in sequentibus versibus sequeretur pluralis numerus. Lehrsius singulari numero hoc significari suspicabatur, singulas Keres singulos sibi viros arripuisse; quod vereor ut omisso ἑκάστη aut simili vocabulo dici potuerit. Tum vero in versibus illis πίπτοντα vocabulum non commode repetitur post πιπτόντων 251. Quibus cum accedat, verba Τάρταρον ἐς κρυόενθ' 255 primum antiquiori aetati non convenire (Tartarus enim pro Hade simpliciter adhiberi non poterat) [91], deinde etsi possent ferri, prorsus tamen supervacanea esse post verba ψυχὴ δ' Ἀϊδόςδε κατῄει, quae formula apud Homerum usitatissima semper in fine sententiae legitur: certissime mihi hoc loco duplex recensio cognosci videtur; atque genuina quidem verborum coniunctio omissis illis quae ab Homero sumpta sunt haec fuisse

πᾶσαι δ' ἄρ' ἵεντο
αἷμα μέλαν πιέειν· αἱ δὲ φρένας εὖτ' ἀρέσαντο
αἵματος ἀνδρομέου, τὸν μὲν ῥίπτασκον ὀπίσσω,
ἂψ δ' ὅμαδον καὶ μῶλον ἐθύνεον αὖτις ἰοῦσαι.

ubi commode restitutum vides concinnum actionis decursum, in quo

---

90) Sic enim (aut κατῆεν) sine dubio reponendum pro inaudito illo κατεῖεν, nisi malis Hermannum sequi scribentem ψυχὴν δ' Ἀϊδόσδε καθίει. ψυχὴν enim multi codices exhibent.

91) Heinrich praef. p. LIX. Goettling. ad h. l.

tantum de sanguine bibendo dicatur; horum autem loco ab alio quodam Homerum imitaturo haec substituta esse

πᾶσαι δ' ἄρ' ἵεντο
αἷμα μέλαν πιέειν· ὃν δὲ πρῶτόν γε μεμάρποι
κείμενον ἢ πίπτοντα νεούτατον, ἀμφὶ μὲν αὐτῷ
βάλλ' ὄνυχας μεγάλους, ψυχὴ δ' Ἀιδόςδε κατῄει.

ubi γε μεμάρποι pro μεμάποιεν non omni ex parte mea coniectura scripsi, sed codicum vestigiis insistens, quorum consensus ostendit in codice nostrorum archetypo fuisse μεμάρποιεν [92]. Singularem autem numerum posuit Homerum secutus qui de una tantum Kere narraverat. — Iam videmus totam hanc descriptionem in duas partes dividi, priorem et minorem ad Homeri exemplum expressam, alteram et maiorem ab Homero alienam, qua de belli numinibus agitur. Hanc vero ipsam sic ut legitur ab uno poeta non esse profectam mihi persuasum est. Numinum enim illorum, Kerum (248—257) Parcarum (258—263) et ἄχλυος (264—270) etsi non prorsus eadem sit significatio, in universum tamen inter se conveniunt eo quod mortem significant quem homines in pugna patiantur; atque Keres quidem mortem violentam hominibus inferunt; Parcae cum de omnibus hominum sortibus tum etiam de morte eorum decernunt, de qua paulo sane insolentius poeta dimicantes eas inducit [93]; Achlye denique, quae propria est nostro nec usquam alibi ita adhibita est, id potissimum agi videtur ut occisi alicuius et in terram prostrati externa facies quam foedissime describatur [94]. Haec

92) Videtur μεμάποιεν, si Goettlingii silentio fides est, in solo Med. 3., de quo supra dixi, extare; quae forma omnino prorsus inaudita est, cf. vs. 245 μέμαρπεν, Op. 206. μεμαρπώς. Tantum ubi reduplicatio omittitur, ρ litteram omissam videmus, μαπέειν 231., cf. adverbium ἐμμαπέως 442. Triclinius etiam legisse se testatur μεμάρποιεν, cum in codice suo Ven. 2. metri restituendi gratia scripserit μάρποιεν.

93) Versus 261—263 plurimi interpretum de Keribus dici putaverant; quibus cum tamen prorsus diversa pugnandi ratio quam in superioribus describeretur, Lehrsius hic duplicem recensionem statui posse suspicatus est, quarum altera (252 sq.) singulae Keres singulos sibi viros arriperent (censuit hoc propter βάλλ' verbum, de quo nobis aliter iudicandum visum est) altera (261 sq.) omnes de uno dimicarent. Huius postremae recensionis quae fuerit genuina forma vix sine artificiis assequaris. Neque Kerum notioni conveniret ut de uno viro dimicarent, quod tamen e Parcarum propria natura prodit. Quodsi quis putaverit non apte Parcas secum pugnantes cogitari, meminerit omnino ab aliis Parcas in bello praesentes haud introductas esse.

94) Cf. Heinr. p. 188. Huius vocabuli notionem non recte intellexe-

igitur numina inter se simillima notione haud crediderim ab uno poeta in pugnae descriptione coniuncta esse. In qua suspicione mirum in modum adiuvamur primum eo, quod hae partes secum ipsae non sunt necessario grammaticae vinculo coniunctae, deinde quod scribendi genere prorsus inter se differunt. Illud luculentissime in Parcarum descriptione conspici iam Hermannus observavit [95], in qua coniunctionis particula aegre caremus. Ad scribendi et describendi genus quod attinet, Kerum descriptionem videmus in fine maxime ad Homericum genus accedere quod in temporis decursu versatur; initio autem eius cum stridere dentibus dicantur Keres, contra imaginis naturam peccari [96]. Quae cum in Parcarum descriptione paulo accuratius servetur, hanc rursus unusquisque sentiet admodum esse ieiunam, impolitam et frustulis undique conquisitis compositam [97]. Ab utraque autem ceterisque omnibus quae in hac descriptione leguntur differt *ἄχλυος* descriptio eo, quod consulto in eam omnia coniecta leguntur quae taedium lectori et fastidium moveant [98]. Iam cum satis luculenter patere videatur,

---

runt qui tristitiam esse sibi persuaserunt, Tan. Faber ad Longin. *περὶ ὕψους* IX. 26, Goettlingius, Hermannus, Müllerus. Caliginis enim est huius vocabuli notissima apud Homerum significatio, Il. V. 127. XV. 668. XVII. 591. Od. XX. 356.

95) Qui cum nonnisi versus 258—260 ad Parcas pertinere non recte putaret, duplicem hic recensionem agnoscere sibi visus est, quarum altera tantum de Keribus diceretur omissis vs. 258—260, altera nonnisi de Parcis, ubi post versum 248, in cuius fine scribendum esset *αἱ δὲ μεταῦτις*, statim sequerentur vs. 258—260 et tum 264 sq. Prior illa quam ferri non possit unusquisque videt. — Ceterum olim iam virum doctum aliquem totam Parcarum descriptionem postea insertam habuisse testatur Heinrichius p. 184, ipse multas ob causas in ea offendens.

96) Quamobrem caveas ne haec ab artis operibus sumpta esse credas; quamvis teste Pausania (V. 19. 1) in arca Cypseli Ker fuerit repraesentata „*ὀδόντας ἔχουσα οὐδὲν ἡμερωτέρους θηρίου, καὶ οἱ καὶ τῶν χειρῶν εἰσὶν ἐπικαμπεῖς οἱ ὄνυχες.*“

97) Huc primum traham miras ambages quibus Atropos earum dicitur natu maxima et gravissima esse; ubi *ὑφήσσων* verbum prorsus inauditum, verba *ἀλλ' ἄρα ἥ γε* similia vs. Il. XIX. 93. Versu deinde 261 verba *μάχην δριμεῖαν ἔθεντο* sumpta e v. 411; versu 262 nota illa formula *δεινὸν δερκόμεναι* ad versus spatium extensa; maxime autem ineptus versus 263 propter coniuncta verba *ὄνυχας χεῖράς τε θρασείας* et propter inauditam vocis *ἰσώσαντο* notionem; nisi forte hoc verbum corruptum est.

98) Offenderunt in ea iam veteres, Longin. *περὶ ὕψους* IX. 26.

non esse haec numina omnia ab uno poeta exhibita sed aliam alius in locum substitutam a diversis poetis descriptionem, quaenam fuerit veterrima quaerendum videtur. Verum enim vero si ut de hac re certi aliquid assequamur horum omnium cum sequenti laetae urbis imagine coniunctionem consideramus, videmur in novas incurrere difficultates; cum prorsus non coniuncta ea esse nobis appareat. Nam verba *δάκρυσι μυδαλέη*, quae versus **270** initio leguntur, primum si grammaticam rationem spectamus, cum praecedentibus non cohaerent, deinde si sententiam consideramus eis quae de Achlye dicuntur prorsus inutiliter adduntur; nam quivis sentiet frigide et superflue foedis illis pulveris, sanguinis et cuiusque generis sordium imaginibus postremo etiam lacrimas adici. Vnde si argumentum sumpseris Achlyis imaginem inter numina illa non esse veterrimam habendam, videbis eiecta illa cum ceteris multo etiam minus coniunctionem fieri posse; nam neque de Parcis neque de Keribus dici possunt verba *δάκρυσι μυδάλεαι.* Ad hanc difficultatem dirimendam mihi ea consideratio plurimum facere videtur, quod Kerum descriptio etiam cum eis quae praecesserint non ita cohaereat ut haec ab uno poeta coniuncta esse dici possint. Nam cum versibus **237—241** de pugna locutus esset poeta, deinde de mulieribus et senibus lamentantibus sex versibus exposuisset, non concinne videtur ad pugnam redire; quod ipsis verbis *τοὶ δ' αὖτε μάχην ἔχον* vs. **248** senties quam inepte instituatur. Maxime si Kerum descriptionem poeta addere voluit, hoc facere debuit post occisorum commemorationem (**241**), quemadmodum fieri videmus apud Homerum vs. **534**

βάλλον δ' ἀλλήλους χαλκήρεσιν ἐγχείῃσιν.
ἐν δ' ἔρις, ἐν δὲ κυδοιμὸς ὁμίλεον, ἐν δ' ὀλοὴ κήρ etc.

Hisce postremo accedit quod supra iam vidimus mulierum illam descriptionem ab Homero sumptam esse, Kerum non esse. Eo autem convenit nuptiarum imago cum priore illa, quod ipsa ad Homeri exemplum expressa est. Atque de mulieribus quidem aptissime dicuntur quae nuptiarum imaginem praecedunt verba *δάκρυσι μυδάλεαι.* Ecquis igitur dubitabit duarum urbium descriptionem ab initio his versibus comprehensam fuisse, omissis omnibus quae etiam ab Homero absint,

269 *τοὶ μὲν ὑπὲρ σφετέρης πόλιος σφετέρων τε τοκήων*
λοιγὸν ἀμύνοντες, τοὶ δὲ πραθέειν μεμαῶτες.
πολλοὶ μὲν κέατο, πλέονες δ' ἔτι δῆριν ἔχοντες

> μάρναντ'· αἱ δὲ γυναῖκες ἐϋδμήτων ἐπὶ πύργων
> χάλκεον ὀξὺ βόων, κατὰ δ' ἐδρύπτοντο παρειάς,
> δάκρυσι μυδάλεαι. παρὰ δ' εὔπυργος πόλις ἀνδρῶν·

e. q. s. usque ad v. 280? Nam et versu 244

> ζωῇσιν ἴκελαι, ἔργα κλυτὰ Ἡφαίστοιο

qui huic describendi generi non convenit, et eis omnibus libenter caremus, quae de senibus dicuntur v. 245 sq.; primum enim vix credibile est voluisse poetam ea quae Homerus duobus versibus comprehendisset tam copiose enarrare, deinde haud apte dicuntur senes extra portas stare in ipso loco ubi pugnatur [99]. — Haec autem omnia ab eo superioribus addita sunt habenda qui Kerum descriptione adsuta obsessae urbis imaginem augeret. Huius autem mihi non omittenda esse videtur mira quaedam scribendi generis similitudo cum curruum certaminis (305) imagine; in quarum utraque habeamus quae artis naturae obstent (249. 309.) orationemque ad narrationem accedentem (255—257, 308—309), denique similium verborum repetitionem δῆριν ἔχον 251. 306. Has igitur imagines ab eodem homine confectas et duarum urbium descriptionibus additas esse crediderim; nam curruum certamen, quod cum ceteris illis certaminibus quae praecederent ab initio coniunctum non fuisse apparuit, nihil obstat quominus statim versui 280 ab aliquo additum cogitemus.

Sed gravissima restat et difficillima quaestio de obsessae urbis imaginis initio. Atque additam quidem eam videmus ei Persei imaginis parti, quam non esse genuinam supra cognovimus, ita quidem ut postquam Gorgones Perseum persequentes commemoratae sint sic pergatur v. 236

> ἐπὶ δὲ δεινοῖσι καρήνοις
> Γοργείοις ἐδονεῖτο μέγας φόβος· οἱ δ' ὑπὲρ αὐτέων
> ἄνδρες ἐμαρνάσθην πολεμήϊα τεύχε' ἔχοντες,
> τοὶ μὲν ὑπὲρ σφετέρης πόλιος σφετέρων τε τοκήων
> λοιγὸν ἀμύνοντες, τοὶ δὲ πραθέειν μεμαῶτες.

Verba enim ἐπὶ δὲ — φόβος ad hanc imaginem, non ad praecedentem pertinere mihi Goettlingius rectissime statuisse videtur, quae si ad priora pertinerent prorsus explicari non possent, cum sequentibus autem coniunta facile sic explicantur ut φόβος vocabulo

---

99) Bonis sane codicibus firmatur lectio a Dindorfio recepta ἔντοσθεν pro ἔκτοσθεν. Sed omnino non velle poeta videtur conspici etiam ea, quae intra urbem fiant.

bellum generaliter significetur, similiter ut Il. V. 739. ἣν πέρι μὲν πάντῃ φόβος ἐστεφάνωται hoc verbum alio modo explicari nequit. Habet sane etiam hoc aliquid miri, bellum primum hoc incertiore vocabulo indicari, deinde luculentius describi. Magis etiam mirum est quod haec pugna tam certo dicitur supra Gorgonum capitibus accidere, de quarum ipsarum loco ubi in scuto cogitandae sint nihil prolatum erat. Supersunt alia in illis versibus quae vix explicari possint, haud minoris illa momenti. Nam quamquam e sequentibus colligatur voluissé poetam Homericas illas urbes imitandas sibi sumere, haud intellegimus cur neque a principio hoc perspicue significetur neque utriusque imaginis initio oppositio clarius indicetur. Cuiusmodi in obsessa quidem urbe tantum abest ut aliquid indicetur ut ne ab initio quidem dicatur omnino, de urbe pugnari, sed duobus demum versibus (237. 238.) praemissis hoc sequatur; alterius autem urbis descriptio cum medio versu incipiat ipsa obstat quominus clara fiat talis oppositio. Postremo vel eius rei causam non intellegimus, cur poeta ordinem quoque Homericum reliquerit, apud quem laeta urbs primum obtinet locum. Quibus omnibus effici videtur in prioribus versibus Homeri imitandi consilium nondum pro certo adfuisse. Huius autem difficultatis certissima explicatio inde mihi petenda esse videtur quod verba illa quibus haec imago incipit imitatione sint expressa versuum qui in ipso carmine nostro leguntur 147. 148., quorum cum illis similitudinem brevissime iam Hermannus significavit. Hoc vero plenius et luculentius demonstrare non prius potero quam de tota prima scuti imagine diversisque eius partibus certius iudicare conatus fuerim.

Accedo igitur ad considerandas priores duas scuti imagines draconis (144–160) et serpentum (161–167), de quibus coniuncta debet esse quaestio propterea, quia alteram ad alterius imitationem confectam esse Lehrsii acumine patefactum est. Hoc pluribus indiciis certissime cognoscitur; repetita enim in utraque habemus verba οὔτι φατειός (144 = 161), repetitum integrum versum 150 = 163 οἵτινες ἀντιβίην πόλεμον Διὸς υἷι φέροιεν, cui etiam quae praecedunt 149. 162. eandem sententiam prae se ferunt; simillimis porro verbis addita quae de dentibus dicuntur 146 = 164 τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν etc., postremo ipsam rem simillimam, quoniam δράκοντες et ὄφιες ab epicis non distinguuntur (Il. XII. 302. Theog. 322) [100]. Quae imagines cum coniunctae ab

100) Quamobrem mihi lectio δ' ἀδάμαντος pro δὲ δράκοντος, quam

uno poeta exhiberi non potuissent, genuinam esse serpentum imaginem Lehrsius arbitratus est, quia draconis imago praeter imitationem etiam inutiliter aucta esset et obscurata. Verumtamen mihi additamentorum quae in priore imagine leguntur plurimorum ea videtur esse conditio, ut non ab imitatore exornandi causa, sed

---

ea scholia exhibent quae sub Tzetzae nomine feruntur, consideratione digna non videtur esse. De variis autem lectionibus, quae in his scholiis inveniuntur, paulo certius mihi videtur iudicari posse. Sunt enim in codicibus nostris duo, qui cum inter se fere ubique conspirent a ceteris omnibus diversi sunt, **Parisinus I** (Rankii A, cf. p. 292. 326. Mützell. de em. th. p. 158) et **Venetus I**. Perspicitur hoc communibus utrique corruptelis quae a ceteris omnibus absint, *τῶν γ' ὀπίζειο* pro *τῶν ὅγ' ὀπίζειο* v. 21, *ὅς καὶ νῦν* pro *ὅς νῦν* v. 99, *γῆρᾳ τε μέμαρται* pro *γῆράς τε μέμαρπεν* v. 245, *ἀοιδὴν* pro *αὐδὴν* v. 278, *πέλεν* pro *ῥέεν* 314, omissum *ὕδωρ* 317, omissum *αἶψ'* 464. Eisdem autem codicibus videmus pluribus locis veram lectionem solis inesse quae in ceteris omnibus sit corrupta. Sic primum vs. 160, ubi antea scribebatur *καναχῇσί τε βεβριθυῖα*, quod ferri nequit, exhibent illi quod pridem coniecerat Ruhnkenius, *βεβρυχυῖα*. Versu deinde 375 pro *ἀποθρώσκουσιν, ἐπ' ἀλλήλαις δὲ πέσωσιν* praebent *ἀποθρώσκουσαι ἐπ' ἀλλήλαισι πέσωσιν*, quod multo aptius et concinnius est; nam in *ἐπ' ἀλλήλαις* verbis comparationis vim sitam esse iam Rankius intellexerat. Porro v. 406 praebent *μάχονται* pro *μάχεσθον*, unde si Hermannum sequaris verum dixeris esse *μάχωνται*. Certe facile librarius eo poterat adduci ut dualem efficeret, cum praecessisset *κλάζοντε*. Exhibent porro *Περμησσοῖο* pro *Τερμησσοῖο* Theog. v. 5 (cf. Mützell. p. 33 sq.), *γηρύσασθαι* pro *μυθήσασθαι* (Par. I. in margine) vs. 28, quod facile poterit exquisitius videri (Mützell. p. 374.), *ἄπλαστοι* pro *ἄπλητοι* v. 153. (cf. supra adn. 76). Cum his autem ipsis codicibus saepius videmus scholiorum nostrorum auctorem conspirare, sive vera sit lectio aut consideratione digna, ut *βεβρυχυῖα* sc. v. 160, *Περμησσοῖο* Th. 5, *γηρύσασθαι* 28, *περιδείκει'* theog. 543 pro *ἀριδείκετ'*, sive aperte corrupta, ut *ἔγχεος αἰχμῇ* pro *ἔγχεος ὁρμῇ* scut. 365, *σπερχνῶς* pro *σπερχνὸν* 454, *γῆρᾳ τε μέμαρται* v. 245, ubi sane ceterae quoque lectiones ei notae sunt. Apparet igitur ex uno exemplo derivatos esse codices illos Venetum Parisinumque et praeterea eum quo scholiastes usus sit; quod exemplum si nobis superesset, facile omnium scuti et theogoniae codicum optimum iudicaretur. In versu igitur 144 si scholiastes lectionem *δ' ἀδάμαντος* in codice suo invenit, puto eam in hoc ipso depravatione ortam esse, quam ab illorum archetypo abfuisse codicum Ven. I. et Par. I. in lectione *δὲ δράκοντος* consensus (quibus accedunt ceteri omnes) docet. Quodsi ea coniecturae docti alicuius grammatici debetur (cuius tamen puto nomen indicasset scholiasta, ut fecit vs. 415. theog. 270), non apte eam excogitatam dicemus causis supra prolatis.

postea ab interpolatoribus adiecta sint habenda. Huc primum ea referenda sunt, quae inde a versu 154, ut plerumque dicitur, de belli numinibus leguntur

ἐν δὲ προΐωξίς τε παλίωξίς τε τέτυκτο,
ἐν δ' ὅμαδός τε φόβος τ' ἀνδροκτασίη τε δεδήει.

quibus adduntur quattuor versus ex Homerica descriptione subiecti (Il. XVIII. 534 — 537). De his quidem cum multi alii tum etiam Lehrsius dubitavit, qui de duobus prioribus incertus haesisse videtur. Quibus tamen ipsis mihi certissime persuasum est non belli numina personarum forma praedita significari sed verae pugnae imaginem, ubi videamus hostes persequentem victorem, altera autem parte (videbimus enim huius imaginis satis magnum ambitum sibi cogitasse poetam) ab hoste rursus oppressum victorem, denique varia proeliorum genera [101]. Nam priora illa quae v. 154 commemorantur cum nusquam personarum vice fungantur (*παλίωξις* nota ex Iliadis libro XV, ad cuius exemplum satis inepte poeta sibi finxit alterum *προΐωξις*), posterioribus notissimum est ab Homero pugnam ubique significari (Il. VII. 237. *αὐτὰρ ἐγὼν εὖ οἶδα μάχας τ' ἀνδροκτασίας τε,* cf. XXIV. 548), quod nostrum hic significare voluisse e voce *δεδήει* mihi certissime intellegi videtur, cf. Il. XII. 35. *μάχη ἐνοπή τε δεδήει*, XIII. 736. *πάντῃ γάρ σε πέρι στέφανος πολέμοιο δέδηεν.* Denique versus 156—159 prorsus hic sensum non haberent nisi pugnae commemoratio praecessisset; quos cur ab alio poeta quam qui 154. 155. scripserit profectos esse credamus iustam causam desidero [102]. Iam videmus horum versuum a draconis imagine tam diversum esse argumentum, ut haec in una imagine cogitari nequeant; immo novam versu 154 imaginem incipere etiam e verbis *ἐν δέ* initio positis intellegitur. Hanc autem imaginem non ab eo poeta profectam esse qui draconis imaginem composuerit, e repetita Eridis commemoratione (148. 156)

---

101) Prior erat sententia Schlichtegrollii, Goettlingii, Hermanni. Quod in vocibus *προΐωξις* et *παλίωξις* fieri non posse Welckerus monuerat, qui hos versus subditicios habuit.

102) Postremum tamen horum versum 160 *δεινὸν δερκομένη καναχῇσί τε βεβρυχυῖα* suspectum habeo, qui primum in Homerico isto loco haud legitur, praeterea et argumenti ineptiis et scribendi generis molestia a ceteris abhorret. Ipsum adeo versum ab una manu haud esse confectum crediderim, sed verbis *δεινὸν δερκομένη* nescio unde adscriptis cetera postea addita ut versus efficeretur.

certissime mihi effici videtur; quam etsi priore etiam loco postea insertam esse infra ostensurus sim, hoc tamen ipsum ab eo fieri non potuisse apparet qui Eridem iam commemoratam legeret. Huius autem pugnae descriptionis quaenam fuerit genuina conditio, cum in ea modo versemur, paucis quaerere conabor. Et cum earum quidem imaginum serie quae post Lapitharum pugnam leguntur neque describendi genere neque versuum ambitu convenire eam apparet; ipsis autem his rebus similem esse videmus aprorum leonumque pugnae; nam primum in neutra earum aliquid legitur quod ad artis naturam pertineat; tum vero conveniunt orationis quadam inopia, quae in illa ipsis verbis perspiciebatur, hic vero eo quod integri quattuor versus ab Homero sumpti sunt. Utraque porro descriptio, siquidem de versibus 170. 171. recte dubitavimus, sex versibus continetur. Hisce postremo exoptatissimum accedere videmus argumentum, quod ex eodem ut ita dicam fonte fluxerunt imagines illae. Nam in ipsa illa Herculis baltei descriptione Od. XI. 612., unde aprorum pugnam petitam esse supra intelleximus, praeterea repraesentata esse dicuntur

ὑσμῖναί τε μάχαι τε φόνοι τ' ἀνδροκτασίαι τε [103]

Quorum quae sit cum versu 155 similitudo quivis videt. Itaque in his duabus imaginibus habemus unius poetae operam, qui eam Homeri descriptionem, quae una in eius carminibus ad Herculis arma pertineret, imitari voluisset. Horum autem quae fuerit antea coniunctio postea quaeram. — Ad draconis igitur imaginem redeo; cui cetera quoque illa quibus Lehrsius offendit postea ab interpolatoribus inserta esse mihi certissime persuasum est [104]. Gravissimas primum dubitationes praebent versus 146 sq.

τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν πλῆτο στόμα λευκὰ θεόντων,
δεινῶν, ἀπλήτων, ἐπὶ δὲ βλοσυροῖο μετώπου
δεινὴ Ἔρις πεπότητο κορύσσουσα κλόνον ἀνδρῶν

in quibus Eridem non personae vicem sustinere, sed horrendam tantum draconis adspectum significare plures arbitrati sunt. Huic vero quae tantum cogitaretur Eridi haud convenire versus 149. 150 sensit Lehrsius; deinde omnino terror quem draconis facies

---

103) Animadverterat hoc iam Schlichtegrollius p. 57. adn.

104) De Hermanni sententia quam p. 207 de duabus prioribus imaginibus protulit, hic ne longus sim nihil dicam; qui quod hic gravissimum erat, alteram ad alterius imitationem expressam esse, haud perspectum habuit.

bellantibus moveat non recte discordiae notione exprimitur. Contra mihi ipsa verba *κορύσσουσα κλόνον ἀνδρῶν* apertissime ostendere videntur poetam de persona Discordiae cogitasse quae pugnam excitaret in ipsa imagine expressam; in qua sententia adiuvamur locis quibusdam Homericis quos respexisse videtur noster, ut Il. IV. 439

ὦρσε δὲ τοὺς μὲν Ἄρης, τοὺς δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
δεῖμός τ' ἠδὲ φόβος καὶ Ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα
ἐρχομένη καθ' ὅμιλον, ὀφέλλουσα στόνον ἀνδρῶν [105].

De hac autem ipsa discordia quomodo versus 149. 150.

σχετλίη, ἥ ῥα νόον τε καὶ ἐκ φρένας εἵλετο φωτῶν,
οἵτινες ἀντιβίην πόλεμον Διὸς υἷι φέροιεν

apte dicantur equidem non video; discordia enim homines ad pugnandum incitantur, non ab eo deterrentur, cf. Il. XI. 11.

Ἀχαιοῖσιν δὲ μέγα σθένος ἔμβαλ' ἑκάστῳ
καρδίῃ, ἄλληκτον πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι.

Ipsa autem verba illa in serpentum imagine imitatione repetita leguntur (162. 163.), ubi cum de ipsis serpentibus dicantur, iure suspicamur etiam in priore imagine ea antea de dracone dicta fuisse, cui aptissime convenirent. Accedit quod ea quae de dentibus praedicantur in serpentum imagine post versum illum 163 *οἵτινες* etc., in draconis autem descriptione ante vs. 150 leguntur. Quibus omnibus mihi effici videtur, haec esse transpositione inscite facta depravata; versus 146 — 148 antea post v. 150 lectos sive auditos esse; draconis autem genuinam descriptionem hanc fuisse.

ἐν μέσσῳ δὲ δράκοντος ἔην φόβος οὔτι φατειός
145 *ἔμπαλιν ὄσσοισιν πυρὶ λαμπομένοισι δεδορκώς,*
149 *σ χ έ τ λ ι ο ς, ὅ ς ῥα νόον τε καὶ ἐκ φρένας εἵλετο φωτῶν,*
οἵτινες ἀντιβίην πόλεμον Διὸς υἷι φέροιεν.
τῶν καὶ ὀδόντων μέν etc.

---

105) Erat haec etiam sententia Schlichtegrollii et Heinrichii; nec non ipsius Quinti Symrnaei, cum in scuti sui descriptione haec verba ita redderet V. 31.

ἐν δ' Ἔρις οὐλομένη καὶ Ἐρίνυες ὀβριμόθυμοι
ἡ μὲν ἐποτρύνουσα ποτὶ κλόνον ἄσχετον ἄνδρας
ἐλθέμεν, αἱ δ' ὀλοοῖο πυρὸς πνείουσαι ἀϋτμήν.

Haec autem transpositio quam ob causam facta sit, facile intellegitur. Secuntur enim eodem loco tres illi versus

τῶν καὶ ψυχαὶ μὲν χθόνα δύνουσ' Ἄϊδος εἴσω
αὐτῶν, ὀστέα δέ σφι περὶ ῥινοῖο σαπείσης
Σειρίου ἀζαλέοιο κελαινῇ πύθεται αἴῃ.

quos certissimis argumentis demonstrari licet ab omnibus quae praecesserint alienos esse. Nam quis non mirabitur quod in imaginis descriptione lector ab eius cogitatione avocetur ad sortem eorum considerandam qui cum Hercule pugnaturi sint? Quod ipsum si voluit poeta, dicendum ei erat eos ab Hercule interfectum iri; quod quasi iam protulisset, statim de fatis eorum quae post mortem passuri sint exposuit. Haec deinde scribendi genere molestissimo et insulsissimo, cuiusmodi in tota descriptione nihil praeterea invenitur praeter ἄχλυος descriptionem, proferuntur; ubi verba χθόνα δύνουσ' Ἄϊδος εἴσω insolenter coniunguntur, verba Σειρίου ἀζαλέοιο prorsus construi nequeunt. Quibus cum denique accedat similitudo verborum τῶν καὶ ψυχαὶ μὲν eorumque quae de dentibus dicantur τῶν καὶ ὀδόντων μὲν, summo cum iure dicimus versus 151—153 eorum loco quae de dentibus dicta essent substituta esse a rhapsodo quodam ineptissimo [106]; haec autem postea cum coniungerentur priora illa paucis ante versibus inserta esse, ut utrumque haberet quo pertineret. — Iam multo similiores inter se ab initio fuisse videmus draconis et serpentum imagines; tantum in priore paulo amplius exposita quae de dentibus duobus versibus proferuntur 164. 165. in serpentum imagine. Hinc vero novae oriuntur difficultates; versibus enim illis 146—148, siquidem recte eos supra explicavimus, non solum de dentibus draconis exponitur, sed nova ei imago pugnae ab Eride concitatae adicitur; quae tam obscure prioribus additur et tam breviter describitur ut vix credas eum qui draconis imaginem composuerit hoc ita instituisse. Ipsa adeo verba quibus haec adduntur ἐπὶ δὲ βλοσυροῖο μετώπου non

106) Videtur ille nonnullos locos Homericos similis argumenti ante oculos habuisse, cf. Il. I. 3. πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν οἰωνοῖσί τε πᾶσιν, Hymn. Ap. 368. ἀλλά σέ γ' αὐτοῦ πύσει γαῖα μέλαινα καὶ ἠλέκτωρ Ὑπερίων, Il. XI. 393. Od. I. 161. XII. 45. — Ceterum iam pridem Guietus de his versibus dubitaverat, deinde censor libelli Schlichtegrolliani; quos etiam Lehrsius ineptissimos iudicavit.

apte de dracone dicuntur, cuius frons nunquam ut eius maxime horrenda pars commemorata est [107]. Haec igitur brevis pugnae imago non e primi poetae consilio videtur draconis imagini addita esse, sed cum aliis quibusdam verbis antea coniuncta fuisse; de qua re certius iudicare poterimus, si iam revertimur ad initium illud obsessae urbis imaginis, cuius causa ad primam imaginem considerandam transieramus (p. 41) Luculentius enim consulto factae imitationis exemplum vix inveniri poterit quam haec praebent

147 ἐπὶ δὲ βλοσυροῖο μετώπου
δεινὴ Ἔρις πεπότητο κορύσσουσα κλονον ἀνδρῶν
236 ἐπὶ δὲ δεινοῖσι καρήνοις
Γοργείοις ἐδονεῖτο μέγας φόβος· οἱ δ' ὑπὲρ αὐτέων
ἄνδρες ἐμαρνάσθην πολεμήϊα τεύχε' ἔχοντες.

Nam in utroque loco videmus horrendi alicuius monstri capitis commemorationi adiungi pugnae descriptionem eisdem verbis eodem versus loco (*ἐπὶ δέ*); quod in utraque ita instituitur ut praemittatur numen aliquod bellum generaliter significans (*ἔρις — φόβος*) simili motionis vocabulo adhibito (*πεπότητο — ἐδονεῖτο*), tum vero ipsum bellum sequatur (*κλόνος ἀνδρῶν — ἄνδρες ἐμαρνάσθην*). Quamobrem sicut priora illa non cum draconis imagine coniuncta esse poterant, ita haec posteriora quoque ab initio cum eis non erant coniuncta quae praecedunt ea; his enim id agitur ut Persei imagini arcte adiungantur illa, quae tamen consilio prorsus diverso composita sunt. Quaerendum est igitur de horrenda illa facie quae illis praemissa fuerit; quod quidem mihi et coniectura haud difficile inveniri et ipsis verborum vestigiis indicari videtur. Huiusmodi enim facies vix potest e veterrima mythologia alia cogitari quam Gorgonis; ad quam eo fidentius duci nos patimur, quia totiens antiquissima aetate Gorgonis caput, maxime in scuti imaginibus, ab artificibus repraesentatum esse scimus. Gorgonis autem faciem quam pugnarum imagines circumdarent, Homerus iam clipeis insculptam finxerat, Il. V. 739 de Pallade dicens

ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν
δεινήν, ἣν πέρι μὲν πάντῃ φόβος ἐστεφάνωται
ἐν δ' ἔρις, ἐν δ' ἀλκή, ἐν δὲ κρυόεσσα ἰωκή,

---

107) Hoc sensu ducti librarii nonnulli scripserunt *προσώπου* pro *μετώπου* (cf. Rank. ad h. l.) quod ipsum draconi non bene convenit.

ἐν δέ τε Γοργείη κεφαλή, δεινοῖο πελώρου,
δεινή τε σμερδνή τε, Διὸς τέρας αἰγιόχοιο

candemque in Agamemnonis clipeo inesse voluerat, XI. 36.

τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο
δεινὸν δερκομένη, περὶ δὲ δεῖμός τε φόβος τε [108].

quam descriptionem vel imitatum esse nostrum ex argumenti similitudine et convenientibus vocibus βλοσυρῶπις — βλοσυροῖο μετώπου colligeres. Revera autem Gorgonem hisce de quibus disputamus locis ante pugnam commemoratam fuisse, primum e voce Γοργείου v. 237 perspicitur; nam quemadmodum versus 236. 237. nunc leguntur, mutati sunt sine dubio propter praemissam Gorgonum mentionem, cum ipsi antea sic legerentur

ἐπὶ δὲ βλοσυροῖο μετώπου
Γοργείου ἐδονεῖτο μέγας φόβος·

deinde id ipsum, quod, haec ut Persei imagini adderentur, adhibita est Gorgonum commemoratio, videri potest ad aliquam similitudinem eorum quae hoc loco antea invenirentur institutum esse. Haec sane pro certo restituere quis audeat? adhibitis tamen similibus illis Homeri locis non multum a veritate aberraverimus, si hanc fere fuisse prioris descriptionis genuinam formam coniciamus

ἐν δ' ἦν Γοργείη κεφαλή, δεινοῖο πελώρου,
δεινὸν δερκομένη [109]· ἐπὶ δὲ βλοσυροῖο μετώπου
δεινὴ Ἔρις πεπότητο κορύσσουσα κλόνον ἀνδρῶν.

quam ad Agamemnonis clipei descriptionis illius (Il. XI, 36) imitationem confectam esse tanquam in oculos incurrit. Quam illud quoque cum Homericis illis descriptionibus commune habere existimo, quod praeter eam nihil in scuto conspici voluerit poeta; ipsa enim non est una imago, sed e duabus composita, quarum prior medium in scuto locum tenet; quamobrem cum nulla alia quae praeterea descripta sit imagine coniuncta potest cogitari. Quippe ambitu quoque et genere descriptionis a ceteris omnibus differt. Haec igitur descriptio si revera ad nostrum Herculis scutum ab initio pertinuit, non potest aliter iudicari nisi eam solam

---

108) De hisce et similibus nonnullis descriptionibus Homericis non recte iudicasse mihi videtur Müllerus p. 619; nam cur hic ab ipsa vulgari vocabulorum significatione recedatur, equidem iustam causam desidero.

109) Haec verba δεινὸν δερκομένη videri possunt servata esse in versu illo 160 quem supra (adn. 102) spurium iudicavimus.

a poeta prolatam fuisse, imaginem autem praeterea nullam. Qua sententia quod brevissimam ab initio fuisse statuo scuti descriptionem, pluribus argumentis mirifice me adiuvari mihi videor. Nam ut primum de poetica ratione dicam, illud iam Heynius [110] olim perspexerat, cum hanc descriptionem cum Homerica Virgilianaque compararet, prorsus deesse in carmine nostro tam copiose describendi clipei idoneam causam. Apud Homerum enim nova perficienda sunt arma eorum loco quae Patrocli morte amissa erant, quamobrem aptissime fieri dices quod splendide describantur; apud Hesiodum autem Hercules, qui iam dudum est armatus, ad Ceycem Trachinis regem profecturus hanc cum Cycno pugnam ex inopinato [111] suscipit in itinere. Deinde iam antea vidimus Homerum scitissime descriptionem ita instituisse ut narratio non esset intermissa; cum apud Hesiodum prorsus obliviscamur ipsius narrationis in describendo clipeo; id quod in breviore descriptione minus molestum est. Porro si tempus consideramus quo carmen nostrum compositum est, quo scimus Graecorum artem eos iam habuisse progressus ut facile cognoscere posset aliquis quae perfici possent, quae non possent, vix nobis persuademus descriptionem carmini insertam esse artificii quod a nullo homine perfici posset. Postremo ne illud quidem mihi prorsus neglegendum esse videtur, quod in eis vasculorum imaginibus, quibus Herculis et Cycni pugna repraesentatur [112], quorum pictores sine dubio carmen Hesiodium cognitum habuerunt, nusquam videmus Herculis scutum insigniter exornatum. — Ad huius igitur imaginis imitationem composita altera his versibus ut puto comprehensa erat

ἐν δ' ἦν Γοργείη κεφαλὴ, δεινοῖο πελώρου,
δεινὸν δερκομένη· ἐπὶ δὲ βλοσυροῖο μετώπου
Γοργείου ἐδονεῖτο μέγας φόβος· οἱ δ' ὑπὲρ αὐτῆς
ἄνδρες ἐμαρνάσθην πολεμήϊα τεύχε' ἔχοντες

ubi iam remotas accipimus difficultates illas quas supra (p. 41) his versibus eam ob causam inesse cognovimus quod haud perspicue eis introduceretur duarum urbium descriptio. Scilicet diversissimum erat consilium imitandi brevem illam Gorgonis imaginem ab

110) Heyn. ad Virg. Tom. III. p. 715. Cf. Schlichtegroll. p. 133. Ranke p. 336.

111) Cf. vs. 353. Diodor. IV. 37. Apollod. II. 7. 7.

112) Gerhard auserl. Vasenb. tab. 120 sq.

eo, quo duarum urbium descriptio conficeretur; neque crediderim haec unum poetam ita composuisse; sed postquam brevioris illius et prioris descriptionis loco haec altera substituta esset, huic ab alio quodam duarum urbium descriptionem additam esse, qui primum versibus 239. 240. breviter significaret de urbe obsidenda pugnari [113], deinde cetera adnecteret usque ad versum 280, quibus tota scuti descriptio terminaretur. De huius autem descriptionis cum Persei imagine coniunctione videor mihi nonnulla haud inutiliter addere posse. Additam enim eam fuisse primum imaginum illarum seriei quae quattuor versibus comprehensae fuerunt, igitur versui 222, quo genuinam Persei descriptionem terminatam fuisse cognovimus, luculentum mihi vestigium praebere videtur versus ille 223

πᾶν δὲ μετάφρενον εἶχε κάρη δεινοῖο πελώρου

quo ipso de Gorgone exponitur hoc sane loco ineptissime, cum Gorgonis caput in pera reconditum sit. Videtur igitur is, qui duas Persei imagines illo versu coniungeret, eo commotus hoc fecisse, quod hoc ipso loco antea Gorgonis commemorationem legisset. Nunc vero cum in alterius Persei descriptionis fine addenda ei videretur Gorgonis et urbium descriptio, eo modo hoc instituit quo nunc legimus, scilicet ut ex ipsa Gorgone, quam post vs. 223 repetere non posset, Gorgones efficeret Perseum persequentes. Ab eodem autem homine urbium descriptionibus additae videntur istae Kerum curruumque certaminis descriptiones, id quod mihi e similibus initiorum formulis, *ταὶ δὲ μετ' αὐτόν* 229, *αἱ δὲ μετ' αὐτούς* 248, *πὰρ δ' αὐτοῖς* 305 colligi videtur. Praeterea omnium postremam Oceani imaginem (314—317) huc referendam puto. Quam quidem statim intelliges Homero deberi, apud quem in ipsa scuti descriptione XVIII. 607 Oceanus marginem circumdare dicitur,

ἐν δ' ἐτίθει ποταμοῖο μέγαν ῥόον Ὠκεανοῖο
ἄντυγα πὰρ πυμάτην σάκεος πύκα ποιητοῖο.

Quod quamvis intellegeret Lehrsius tamen hanc imaginem inter eas connumeravit quibus genuinam scuti descriptionem suam effici putavit, facile eam in communem usum abisse arbitratus. Velim artis opera aliorumve poetarum descriptiones indicasset quibus hoc efficeretur; apud Homerum certe huius imaginis propria quaedam

113) Versibus ad eorum similitudinem expressis qui Il. IX. 529 sq. leguntur

est vis non ad alia cuiusvis generis transferenda [114]. Videtur autem mihi quaestio de huius imaginis cum superioribus coniunctione a describendi generis consideratione pendere; quo quidem ab omnibus quae in priore descriptionis parte leguntur maxime distat. Afferuntur enim in ea quibus artis et imaginis cogitatio prorsus relinquatur, ἀερσιποται, μέγαλ' ἤπυον 316; deinde primis verbis ἀμφὶ δὲ pro ἐν δὲ se ab illis diversam praebet [115]. Iam suspicari posses, in eo exemplari ubi imaginum illa series quattuor versibus comprehensarum scripta fuisset, a posteriore manu hanc esse additam; ipsa enim quattuor versibus constat. Verum sunt tamen, quibus similior esse appareat haec imago; partes illas volo significare quibus duarum urbium descriptionem primo auctam esse volui, Kerum descriptionem et curruum certaminis. Cum his enim Oceani imago primum eo convenit, quod olores canere dicuntur contra imaginis naturam (cf. vs. 249. 309), deinde quod formula quibus olores proferuntur, οἱ δὲ κατ' αὐτόν, eis simillima est quas in illis habuimus (229. 248. 305). Itaque ab eodem homine et illa et Oceani imaginem profectam puto.

Haec autem omnia quam incommode cum Persei imagine coniuncta essent, cum nescires quomodo haec omnia supra Gorgonum capita repraesentata cogitarentur, erant quos non fugeret; cuius rei vestigia mihi in eis superesse videntur quae versibus 230—236 de Gorgonibus exponuntur. In quibus plurima sunt quibus offendas illaque omnia ab uno poeta scripta esse neges. Primum sub Gorgonum incessu resonare scutum dicitur; quod contra naturam est et ridiculum. Deinde in zonis habere serpentes dicuntur; quod primum artis monumentis non convenit, ubi in capitibus quidem, in zonis vero nunquam serpentibus cinctae sunt; deinde non poterat ab eo addi, qui iam a forma Gorgonum ad incessum earum transierat. Quibus cum accedat primum insulsa soni significatio 232 μεγάλῳ ὀρυμαγδῷ ὀξέα καὶ λιγέως, deinde nimis copiosa neque naturae conveniens draconum descriptio 235. 236., postremo ter

---

Κουρῆτές τ' ἐμάχοντο καὶ Αἰτωλοὶ μενέχαρμοι
ἀμφὶ πόλιν Καλυδῶνα, καὶ ἀλλήλους ἐνάριζον,
Αἰτωλοὶ μὲν ἀμυνόμενοι Καλυδῶνος ἐραννῆς,
Κουρῆτες δὲ διαπραθέειν μεμαῶτες Ἄρηϊ.

114) Welcker p. 568.

115) Formulam πλήθοντι ἐοικὼς ab Homero sumere potuit, Il. V. 87.

eodem versus loco repetita verba ἐπὶ δέ 231. 233. 236., certissime mihi hic cognosci videtur triplex recensio. Atque prima horum forma sine dubio haec fuit

229 ται δὲ μετ' αὐτὸν
Γοργόνες ἄπλητοί τε καὶ οὐ φατοὶ ἐρρώοντο
ἱέμεναι μαπέειν· ἐπὶ δὲ δεινοῖσι καρήνοις
Γοργείοις ἐδονεῖτο μέγας φόβος· οἱ δ' ὑπὲρ αὐτέων
ἄνδρες ἐμαρνάσθην πολεμήϊα τεύχε' ἔχοντες etc.

ubi cum abesse vellet aliquis omnia, quae ad novas imagines pertinerent, ipsaque Persei imagine descriptionem terminare, hoc modo illud effecit

ἱέμεναι μαπέειν· ἐπὶ δὲ χλωροῦ ἀδάμαντος
βαινουσέων ἰάχεσκε σάκος μεγάλῳ ὀρυμαγδῷ.

mirum sane commentum illis addens, quod eo ineptius est, quia non tam solum resonare dicitur (hoc enim responderet eis quae vs. 219. 309 etc. proferuntur) quam ipsius scuti materia. Huic autem simillimum est illud quod huius descriptionis initio vidimus proferri (p. 25), ubi Perseus non dicitur in aëre volitasse, sed ipsum scutum pedibus haud attigisse. Hi igitur loci cum eo inter se conveniant quod in eis non simpliciter quod contra naturam sit proferatur, sed, quo magis mira res appareat, ipsius scuti mentio simul iniciatur, videntur ab eodem homine conscripti esse. Ab alio rursus finem descriptioni hunc impositum fuisse puto

ἱέμεναι μαπέειν· ἐπὶ δὲ ζώνῃσι δράκοντε
δοιὼ ἀπῃωρεῦντ' ἐπικυρτώοντε κάρηνα.

quae cum sequentibus ab initio coniuncta esse non potuisse ex incommoda verborum κάρηνα et καρήνοις repetitione 234. 236. colligi mihi videtur.

Iam ad primam omnium imaginem redeundum erit. In qua cum viderimus post versum 150 de dentibus expositum fuisse similibus eorum verbis quibus infra vs. 164. 165. (τοῦ καὶ ὀδόντων μέν —), ubi tamen quae de Eride dicerentur nunc v. 147. 148., postea addita essent habenda; vix aliter statui posse videtur quam hoc etiam loco versus illos 161. antea scriptos fuisse

τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν καναχὴ πέλεν, εὖτε μάχοιτο
Ἀμφιτρυωνιάδης, τὰ δὲ δαίετο θαυματὰ ἔργα.

quippe in eis quoque quae praecedunt prorsus eadem verba ab imitatore repetita esse videmus. Sed rursus horum quoque versuum propria quaedam est conditio, quae vetet quominus vere genuinam

huius imaginis nec potius antiquiorem quandam eius formam assecuti esse nobis videamur. In quibus illud primo obtutu perspicitur, inepte eos scriptos esse in imaginis descriptione, cum ad auditum pertineant; quod non recte Lehrsium prae ceteris admirabile duxisse iam supra monui; is enim quibus exemplis utitur ut hoc efficiat, ea nullius sunt momenti, cum non ex imaginum descriptionibus sumpta sint. Goettlingius scholiastam secutus hoc significari putavit, dentes ita factos cogitari ut moti strepitum ederent thysanorum instar; qualem strepitum recte monet Fuchsius [116] inter ceteros pugnae clamores haud admodum auditum esse. Sed quid multa? sumpta enim sunt etiam haec verbotenus fere ab Homero, qui de Achille dicit Il. XIX. 365

τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν καναχὴ πέλεν, τὼ δέ οἱ ὄσσε
λαμπέσθην ὡς εἴ τε πυρὸς σέλας, ἐν δέ οἱ ἦτορ
δῦν' ἄχος ἄτλητον· ὁ δ' ἄρα Τρωσὶν μενεαίνων
δύσετο δῶρα θεοῦ, τά οἱ Ἥφαιστος κάμε τεύχων [117].

Quae quidem in narratione nihil habent offensionis; in imagine autem qui posuit eos, is ostendit se imaginis cogitationem haud tenere. Hos igitur versus, qui primum a praecedentibus describendi genere differunt, deinde aliunde sumpta sunt, id quod de prioribus dicere non possumus, recte suspicamur ei imagini, quae harum antiquior fuerit, postea additos esse.

Iam videmus draconis et serpentum imagines multo sibi invicem ab initio similiores fuisse quam nunc leguntur; obstant solum in draconis imagine versus 145, in serpentum versus 166. 167., quominus plenam habeamus aequabilitatem. Duo versus quos postremo indicavi

στίγματα δ' ὡς ἐπέφαντο ἰδεῖν δεινοῖσι δράκουσι·
κυάνεοι κατὰ νῶτα, μελάνθησαν δὲ γένεια

mihi et scribendi genere molesti et ipso argumento inepti esse videntur. Miris ambagibus enim dictum est ἐπέφαντο ἰδεῖν, στίγματα verbum veteriori poesi haud usitatum, postremo ipsi versus grammatico vinculo haud inter se coniuncti. Ad argumentum quod at-

116) De clipeorum imag. p. 9.

117) Scio hos versus in scholiis ad h. l. Homero abiudicari, sicut in editionibus nostris uncinis inclusi leguntur. Sed hoc non obstat quominus eis hominibus notos fuisse eos statuamus qui in carmine nostro operam male sedulam posuerint.

tinet, videtur poeta aliquid additurus fuisse quod ad imaginis rationem pertineret; ubi recte materiam indicasset, colorem autem non apte significat cum non in pictura describenda versetur. Denique quod in fine demum descriptionis serpentum figura describitur, id quod alibi solet initio fieri, argumentis addendum; nisi forte inde quoque aliquid sumendum esse dixeris, quod in draconis imagine nihil quod eis respondeat inveniatur, cum cetera verbotenus fere inter se conveniant. De versu illo 145

ἔμπαλιν ὄσσοισιν πυρὶ λαμπομένοισι δεδορκώς [118]

ut dubitemus cum tam certa argumenta non adsint, satis tamen idonea quibus caveamus ne eius gratia dicamus draconis imaginem posteriorem esse. Nam primum haud commode ea quae de flectendo collo oculisque fulgentibus dicuntur non de ipso dracone, sed de *φόβῳ* eius praedicantur; deinde ipsa verba Homero deberi manifestissimum est, quae cum Il. I. 104. XIII. 474, tum in ipso loco illo unde versus 164. 165. petiti sunt similiter leguntur: *τὼ δέ οἱ ὄσσε λαμπέσθην ὥς εἴ τε πυρὸς σέλας;* unde colligere posses, eundem qui duos illos versus hic adscripsisset, hunc quoque versum inseruisse. Duarum igitur imaginum sibi prorsus fere aequalium utra fuerit antiquior, utra imitatione orta, vix pro certo statui potuerit. Sunt vero nonnulla quibus me commoveri fatear ut draconis imaginem antiquiorem habeam; primum quia simplicior est; solent enim imitatores augere et exornare quae imitentur; deinde, si ea comparamus quibus vs. 149 et 162 de terrore adspicientium exponitur, apparet priora illa multo magis esse rei de qua agitur propria et convenientia, quibus draco animum et sensum eximere pugnantibus dicitur; cum de serpentibus paulo incertius dicatur terruisse eas *ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων* [119]. Accedit postremo quod in serpentum imagine causam invenire licet qua eam imitatione confectam esse dicamus. Quae cum coniuncta inveniatur cum duabus istis imaginibus quas ad Homericae Herculis baltei descriptionis similitudinem scriptas esse supra cognovimus (p. 44), mihi videtur veri

118) Versum a nonnullis male intellectum recte a Nonno, qui eum imitatur Dionys. XXV. 405., sic reddi puto

ἄψ ἀνασειράζων δέμας αἰόλον, οἷά τε λοξοῦ
Μαιάνδρου κελάδοντος ἕλιξ ῥόος, ὃς διὰ γαίης
δοχμώσας ἐπίκυρτον ὕδωρ σπειρηδὸν ὁδεύει.

119) Nota apud veteriores poetas formula, Il. XIV. 361. Theog. 550.

esse simillimum ab eodem poeta illam esse confectam eisque additam mediae imaginis loco, quam relicuae duae circumdarent duobus circulis. Conveniunt adeo prima eius verba cum primis aprorum pugnae verbis ita, ut eiusdem poetae manum hic facile agnoscamus,

ἐν δ᾽ ὀφίων κεφαλαὶ δεινῶν ἔσαν
ἐν δὲ συῶν ἀγέλαι χλούνων ἔσαν.

Atque hic quidem etiam de Lapitharum pugnae imagine, quam supra vidimus cum ceterarum nulla commode conciliari posse, paulo certius mihi videor iudicare posse. Scilicet pugnae illa descriptio quam nunc legimus vs. 154 sq. sine dubio antea post aprorum pugnam sequebatur, sicut apud Homerum etiam fieri videmus. Huius igitur incertae pugnae loco ab alio quodam aut recitatore aut librario substituebatur Lapitharum et Centaurorum pugna e certorum artis operum notitia profecta [120]. Et cum posteriores nihil eorum quae unquam ab aliquo in hac descriptione posita fuissent interire debere censerent, breviorem quoque illam pugnae descriptionem servarunt illi, qui totam hanc farraginem coacervarent, et post draconis imaginem loco ineptissimo intruserunt.

Iam de draconis imagine restat ut iudicium feramus, et quaeramus quibuscum ceterarum imaginum ab initio coniuncta fuerit. Est autem quae hic in disceptationem venire possit sola imaginum illa series quae Martis et Minervae imaginibus incipit, quattuor versibus comprehensarum; quibuscum si versum 145 genuinum habemus versuum ambitu convenire illam patet. Vellem etiam ceteris omnibus eodem modo cum illis congrueret; ubi tamen multa sunt quibus offendamus. Primum enim describendi genere ab illis diversa est; nam eorum quae aliquo saltem modo ad imaginis artisque rationem pertineant, hic nihil reperitur; sed breviter tantum descripto dracone ad terrorem transitur quem adspicientibus moturus sit. Hoc vero consilium ipsum mihi cum ceteris illis non bene conciliari posse videtur. Is enim qui imaginem describeret quam conspicientes a pugnando deterrerentur hostes voluit certe ut hanc praecipue, immo hanc solam conspicerent illi, haud vero praeterea alias quibus oblectarentur. Postremo si de imaginibus illis in scuto distribuendis quaerimus, videmus draconis imaginem vix bene cum eis coniungi posse. In quibus cum quat-

120) Similiter eam Persei imaginis recensionem, quae artis operibus responderet, posteriorem esse statuimus p. 29.

tuor habeamus imagines paulo maioris ambitus, deorum chorum, portum, Martem in pugnantibus praesentem eodemque modo Minervam; unam deinde quae unius sola figura hominis consisteret, Perseum; haec non potest aliter cogitari nisi ut medium inter illas locum teneat. Draconis autem imago cum ipsa dicatur medium in scuto locum tenere, apparet ab illarum serie alienam esse eam. Iam cum aliud in tota descriptione nihil inveniatur cui illa coniuncta cogitari possit, nihil restare videtur nisi ut eam statuamus eo consilio conscriptam esse ut praeterea nihil scuto inesse diceretur; quod quidem duabus rebus mihi haud mediocriter adiuvari videtur. Ipsa enim descriptio ita comparata est, ut post eam statim narratio continuetur; nam verba illa quibus exponitur de eis qui cum Hercule pugnaturi sint, *οἵτινες ἀντιβίην πόλεμον Διὸς υἷι φέροιεν*, tum demum aptissime dici apparet, ubi statim ad pugnam narrandam pergitur; adest enim hoc ipso tempore qui cum Hercule pugnaturus sit. Deinde vero inter clipeorum signa frequentissimum fuisse draconem scimus [121], quem tamen ubi hoc modo repraesentatum videmus, praeter eum nihil aliud in scuto insculptum habemus. Hos autem dracones saepe videmus ita e scuto lingua porrecta prostantes ut facile intellegamus quod dicantur terrorem adspicientibus movere.

Haec omnia quae hucusque protuli si recte disputata sunt, coniunctam accipimus totam hanc scuti Herculis descriptionem ex integris quinque inter se diversis et a diversis poetis profectis descriptionibus, quarum singulae rursus diverso modo mutatae et auctae essent, donec postremo collectis forsitan omnibus undique exemplaribus in quibus diversi aliquid inveniretur ab uno quodam consarcinatore exstrueretur haec congeries quam nunc legimus; id quod non multum ante Pindari aetatem factum esse iam supra monui. Quod negotium possitne eidem illi Cercopi Milesio tribui, qui hac ipsa aetate in ceteris quae Hesiodi nomine ferrentur poematis colligendis operam posuit [122], pro certo dici nequit. Illarum igitur descriptionum duae sunt breviores et propterea sine dubio etiam antiquiores, draconis descriptio (144. 145. 149. 150) quam procul dubio usitata clipeorum imagine commotus poeta scripsit, et Gorgonis quam pugna circumdaret (147. 148) imago Homeri imita-

121) Fuchs de clip. imag. p. 25. Welcker p. 574. Gerhard auserl. Vasenb. tab. 118. 208. Trinksch. tab. 2.

122) Cf. Ritschl Alexandr. Bibl. p. 54.

tione orta. Huius vidimus similem imaginem imitatione ab alio quodam confectam esse, cuius vestigia v. 236—238 superessent; ei autem postea duarum urbium descriptionem ab Homero petitam additam esse; quae rursus unam scuti descriptionem efficerent. Accedunt duae paulo copiosiores, altera ad Homeri (Od. XI. 611) imitationem expressa, altera quinque illas imagines complectens quattuor quamque versibus descriptas, Martem (191. 192. 195. 196). Minervam (197—200) deorum chorum (201—203 med., 205 med. 206.) portum (207—209. 212.) Perseum (216. 220—222), quas sine dubio ita in scuto distributas esse voluit poeta, ut Perseum in medio positum ceterae circumdarent, in quibus Mars Palladi, portus deorum choro responderet [123]. Gorgonis autem an draconis descriptio fuerit antiquior, non pro certo diiudicare ausim. Verum hoc paucis demonstrare studebo, quod mihi verborum coniunctionem accuratius intuenti statuendum esse visum sit: eum qui primus hanc Herculis cum Cycno pugnam narrasset, omnino scuti descriptionem nullam conscripsisse, sed simpliciter scutum inter cetera arma connumerasse. Totam enim hanc armaturae descriptionem versu 122 incipientem Heinrichius iam et Rankius (p. 346) cognoverunt verbotenus fere cum similibus nonnullis Homericis convenire, ut de consulto facta imitatione dubitari nequeat. Sunt autem quas hic significavi quattuor maxime Homeri descriptiones, duae brevissimae Paridis (Il. III. 330 sq.) et Patrocli (XVI. 130 sq.) armaturae, paulo brevior Achillis (XIX. 369 sq.), postremo distans ab illis et maiore ambitu et singularum quoque rerum diversitate Agamemnonis (XI. 17 sq.) [124]. Quarum duas illas priores potissi-

123) In hac postrema descriptione certa etiam indicia inveniuntur eius aetatis, cui haec omnia tribuenda esse vidimus, primum verba *δίφρῳ ἐπεμβεβαώς* vs. 195, ubi in veteriore poesi genetivus requireretur, *δίφρου ἐπιβησόμενοι* Il. XXIII. 379, *οὐδοῦ ἐπεμβεβαώς* Il. IX. 582. et in ipso carmine nostro v. 334. *δίφρου ἐπεμβεβαώς*; contra *πύργοις ἐπεμβάς* Aesch. Sept. 315. Ad eandem vero aetatem correpta vocis *χρυσείην* prima syllaba v. 199. pertinet.

124) Conspiratio et in singulis verbis et in rerum ordine perspicitur. Cf. v. 122. *κνημῖδας — περὶ κνήμησιν ἔθηκεν* verba in omnibus Homericis locis; v. 126. *δεύτερον αὖ θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνε* = Il. III. 332. XI. 19. XIX. 371.; v. 128 ensis, eodem loco similibusque verbis apud Homerum positus; quibus peractis noster de suo addit pharetram et arcum (129—134), commotus ut puto eo, quod apud Homerum ubi Hercules nominatur, ea est eius propria armatura, Il. V. 395. Od. VIII. 224. XI. 601. Hic

mum respexisse nostrum ex eis verbis quibus galea describitur colligi videtur, v. 136

κρατὶ δ' ἐπ' ἰφθίμῳ κυνέην εὔτυκτον ἔθηκε,

quae apud Homerum tantum in brevioribus illis descriptionibus leguntur, Il. III. 336. XVI. 137. Duabus vero maxime rebus Hesiodia descriptio ab hisce Homericis differt. Primum enim in eis clipeus non describitur, sed breviter tantum commemoratur (III. 335. XVI. 136).

ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον,
χάλκεον, αὐτὰρ ἔπειτα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε.

Deinde trium quae postremo loco nominantur rerum apud Hesiodum habemus mutatum ordinem, cum apud Homerum post ensem primum sequatur clipeus, deinde galea, postremo hasta. Iam diceres propterea hanc ordinem immutasse Hesiodum et in fine posuisse clipeum, quod eum copiosius descripturus fuisset; quod ut faceret, Agamemnoneae armaturae istis simillimae exemplo commotum esse, in qua non solum copiosiorem haberemus scuti descriptionem, sed ipsam imaginem ei insculptam unde breviorum Hesiodi descriptionum alteram sumptam esse constaret, Il. XI. 32.

ἂν δ' ἕλετ' ἀμφιβρότην πολυδαίδαλον, ἀσπίδα θοῦριν
καλὴν, ἣν πέρι μὲν κύκλοι δέκα χάλκεοι ἦσαν·
ἐν δέ οἱ ὀμφαλοὶ ἦσαν ἐείκοσι κασσιτέροιο
λευκοὶ, ἐν δὲ μέσοισιν ἔην μέλανος κυάνοιο.
τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο
δεινὸν δερκομένη, περὶ δὲ δεῖμός τε φόβος τε.

Verum tamen hanc quam dixi ordinis commutationem cognosci licet non esse consilio ipsius poetae factam sed a posteriore quadam manu inscite admissam; id quod certissime perspicitur si ea verba accuratius consideramus quibus a descriptione ad narrationem rursus transitur vs. 318 sq.

θαῦμα ἰδεῖν καὶ Ζηνὶ βαρυκτύπῳ, οὗ διὰ βουλὰς
Ἥφαιστος ποίησε σάκος μέγα τε στιβαρόν τε,
ἀρσάμενος παλάμῃσι· τὸ μὲν Διὸς ἄλκιμος υἱὸς
πάλλεν ἐπικρατέως· ἐπὶ δ' ἱππείου θόρε δίφρου etc.

---

tamen mihi versus 132—134 videntur subditicii esse, quorum est ineptum et insulsum argumentum. Galeam rursus, ensem et clipeum, quae apud Homerum secuntur, noster etiam similibus verbis (v. 135 = Il. III. 336. XI. 41. XVI. 139 etc.), inverso tamen ordine, enumerat.

Postrema enim verba de scuto non recte dicuntur, de quo vibrando nemo unquam dixit. Contra de hasta apte usurparentur, de quo reapse in Homericis illis descriptionibus similiter adhibita legimus, Il. XVI. 141.

τὸ μὲν οὐ δύνατ' ἄλλος Ἀχαιῶν
πάλλειν, ἀλλά μιν οἶος ἐπίστατο πῆλαι Ἀχιλλεύς.

cf. XIX. 388. Similiter in prioribus versibus offendimus, primum Vulcani commemoratione, quem potius initio descriptionis nominatum esse expectaremus; deinde nimia illa admirationis significatione in descriptione satis brevi; postremo verbis ἀρσάμενος παλάμῃσι. Quae cum sic ut leguntur de Vulcani artificio dicta sint, videmus tamen eorum similia rursus in Homericis descriptionibus de hasta usurpari, Il. III. 338. ἔγχος δ' οἱ παλάμηφιν ἀρήρει, XVI. 139 τά οἱ παλάμηφιν ἀρήρει. Voluit igitur sine dubio verbis ἀρσάμενος παλάμῃσι eum significari, qui arriperet aliquid ita ut manibus apte conveniret. Quibus omnibus mihi argui videtur, versum illum 135 quo de hasta agitur, ab initio revera in fine armaturae lectum fuisse ante vs. 320 hoc modo

εἵλετο δ' ὄμβριμον ἔγχος ἀκαχμένον αἴθοπι χαλκῷ
ἀρσάμενος παλάμῃσι· τὸ μὲν Διὸς ἄλκιμος υἱὸς
πάλλεν ἐπικρατέως·

ubi intellegimus etiam illud quod v. 135 ὄμβριμος scriberet poeta ubi apud Homerum legitur ἄλκιμος III. 338; sequebatur scilicet ἄλκιμος versu 320. Haec pro certo contendere ausim; illud paulo dubitantius addere, ab initio etiam clipeum nominatum fuisse ante galeam, ut Homericus ordo omni ex parte restitutus sit. Hic enim cum a brevioribus illis descriptionibus Homericis non discessisse nostrum viderimus, suspicamur eum in ceteris quoque ad eius exemplum se conformasse; itaque ipsius scuti breviorem tantum commemorationem, haud longiorem descriptionem protulisse. Quod confirmatur eo, quod ipsa verba illa quibus in eis scutum ab Homero nominari vidimus, σάκος μέγα τε στιβαρόν τε, supersunt apud nostrum vs. 319, ubi inutiliter ea proferri concedes post copiosiorem descriptionem praegressam. Ea autem verba cum apud Homerum addita legantur ensis commemorationi, videndum est num in nostra quoque descriptione vestigia inveniantur similem ab initio fuisse coniunctionem. Scilicet ea quae apud nostrum de ense dicuntur v. 128. sequitur pharetrae et arcus commemoratio ab Homero aliena; quam vix mihi persuaserim ab ipso poeta hic esse

insertam; sunt enim haec diversissima inter se armaturae genera neque recte uni eidemque homini tribuenda, quae ab Homero severe distinguuntur (cf. Il. XIII. 712). Horum autem gratia sine dubio verba quibus de ense exponitur, cum antea Homero similiora essent, sic immutata sunt ut ea nunc legimus, (ubi verba *ἀρῆς ἀλκτῆρα* non commode e v. 29 huc translata sunt). Quamobrem mihi quidem haec omnia a primo poeta sic exhibita esse videntur

129 *ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον*
319 *χάλκεον· αὐτὰρ ἔπειτα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε.*
136 *κρατὶ δ' ἐπ' ἰφθίμῳ κυνέην εὔτυκτον ἔθηκε*
δαιδαλέην, ἀδάμαντος, ἐπὶ κροτάφοις ἀραρυῖαν
ἥτ' εἴρυτο κάρη Ἡρακλῆος θείοιο.
135 *εἵλετο δ' ὄμβριμον ἔγχος ἀκαχμένον αἴθοπι χαλκῷ*
320 *ἀρσάμενος παλάμῃσι* etc.

Supersunt in descriptione nostra tres versus de quibus nihildum dixi, illos significo quibus de totius scuti materia exponitur vs. 141—143

πᾶν μὲν γὰρ κύκλῳ τιτάνῳ λευκῷ τ' ἐλέφαντι
ἠλέκτρῳ θ' ὑπολαμπὲς ἔην χρυσῷ τε φαεινῷ
λαμπόμενον· κυανοῦ δὲ διὰ πτύχες ἠλήλαντο.

In quibus miramur praeter cetera de nimia materiarum varietate, quae cum sequentibus descriptionibus non commode conciliari possunt, sive de ipsis figuris eas accipias sive de superficie scuti. Nam quomodo figurae cogitarentur gypso aut elephante factae in clipeo, vix diceres; deinde in maiore illa descriptione v. 191 sq. ipsae materiae nominantur, in quibus tamen solum habemus aurum et argentum; cum in brevioribus ipsa brevitas obstet quominus tantam varietatem nobis cogitemus. Ad superficiem si pertinerent, intellegendi essent circuli in quos ea divideretur singulis illis metallis facti; sed v. 143 *πτύχες*, id est circuli, simpliciter dicuntur *κυανῷ* factae esse. Voluerunt sane nonnulli *πτύχες* vocabulo laminas significari quae inter singulos circulos conspicerentur [125]; hac autem notione vocabulum illud nusquam invenitur, quam Homerum voce *οἶμοι* exprimere Welckerus monuerat. Verba igitur illa cum explicari nequeant, corrupta sunt habenda; cuius rei duo praeterea mihi adesse videntur luculentissima vestigia, primum

125) Lehrsius adeo *κυανέας πτύχας* dracones illos esse putavit, qui vs. 167. dicerentur *κυάνεοι κατὰ νῶτα.*

vocis λαμπόμενον molestissima repetitio cum praecesserit ὑπολαμπές; deinde quod in materiis illis habuimus τίτανον; quod quidem scholiastae hoc loco dicunt esse gypsum, cum apud alios nihil significet nisi calcem (Lucian somn. 6 etc.). Videtur igitur mihi ut dicam quod sentiam, in voce τιτάνῳ latere κυανῷ, versus autem 143 additicius esse, quem olim iam Heynius spurium habuerat,

πᾶν μὲν γὰρ κύκλῳ κυανῷ λευκῷ τ' ἐλέφαντι
ἠλέκτρῳ θ' ὑπολαμπὲς ἔην χρυσῷ τε φαεινῷ.

Quos quidem versus sine dubio de circulis accipiemus, eosque cum singulis illis scuti nostri descriptionibus comparantes ab eo lubentissime profectos esse putabimus, qui Gorgonis imaginem descripserit. Scripti enim sunt ad eiusdem illius descriptionis, unde illa imago sumpta est, imitationem, scuti scilicet Agamemnonis Il. XI. 32.

ἣν πέρι μὲν κύκλοι δέκα χάλκεοι ἦσαν.
ἐν δέ οἱ ὀμφαλοὶ ἦσαν ἐείκοσι κασσιτέροιο
λευκοί, ἐν δὲ μέσοισιν ἔην μέλανος κυάνοιο.

Eidem autem homini etiam qui praecedunt versus 139 sq. et vs. 318 tribuendi sunt, qui omnino genuinum descriptionis ordinem suo arbitrio mutaverit.

VITA SCRIPTORIS.

Natus sum Hermannus Deiters Bonnae a. d. V. Kal. Iul. anni CIƆIƆCCCXXXIII patre Petro Francisco, professore in hac universitate publico ordinario, matre Emilia e gente Bausch. Decimum aetatis annum agens gymnasium, quod in hac urbe Ludovico Schopeno moderante floret, adii, in quo per octo annos et ipsius Schopeni et aliorum praeceptorum egregia usus sum disciplina. Auctumno anni CIƆIƆCCCL maturitatis testimonio munitus inter huius almae academiae Rhenanae cives receptus sum, ubi cum per aliquod tempus, incertus de eo studio cui me totum darem, rebus philologicis et historicis operam dedissem, postremo ad iuris scientiam me conferre constitui. Per triennium igitur cum virorum clarissimorum, qui in hac universitate illam disciplinam tradunt, scholis interfuissem, aestate anni CIƆIƆCCCLIV dissertatione „de mancipationis indole et ambitu" conscripta examinibusque superatis summos in utroque iure honore adeptus sum a viro cl. Bauerbandio tum temporis decano spectatissimo. Quibus peractis Berolinum me contuli, eis exercitationibus quibus iuris studiosi formari solent ad iudicandi facultatem sibi acquirendam operam navaturus; quam ob causam iure iurando interposito in auscultatorum numerum urbis iudicio Berolinensi adscriptorum receptus sum. Verum tamen cum haud multo tempore praeterlapso me ad haec negotia non satis factum esse sentirem, simul autem miro antiquarum litterarum artiumque studii desiderio afficerer: viam quam ingressus essem relinquere et ad philologiae studium reverti consilium cepi. Berolino igitur (ubi praeterea per menses hibernos anni CIƆIƆCCCLIV Trendelenburgium audiveram de psychologia docentem) relicta aestate a. CIƆIƆCCCLV Bonnam

reversus et academiae civibus denuo adscriptus a viro cl. Wutzero rectore tum temporis magnifico, per tres annos et dimidium scholis interfui virorum clarissimorum Brandisii Brunnii Cornelii Heimsoethii Iahnii Ritschelii Ritteri Schopeni Vahleni Welckeri. Singulari deinde Ritschelii et Welckeri benivolentia factum est ut in seminarium philologicum reciperer, cuius per annum et dimidium fui sodalis ordinarius. Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas. Cum singulari autem grati animi significatione hoc loco non possum non commemorare insignia Ottonis Iahnii erga me beneficia: cuius adhortatione consilio disciplina dicere vix possum quantopere sim in studiis meis adiutus et confirmatus.

Sententiae controversae.

1) *Antiquitatis Graecae Romanaeque studium omnis verae eruditionis fundamentum est.*

2) *Homeri Iliadis I. versum 97 sic emendandum esse puto:*
οὐδέ κε πρὶν Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἀμύναι.

3) *Recte statuitur schola Hesiodia.*

4) *Stesichorus ille qui in scuti Herculis argumento Γ' hoc carmen Hesiodo tribuisse fertur, non est Stesichorus Himerensis lyricus.*

5) *Sophoclis Ai. vs. 406 sq. corrupta verba mihi ita emendari posse videntur*
εἰ τά γ' ἐμὰ φθίνει φίλοισι τοῖσδ'
ὁμοῦ πέλας etc.

6) *Aristoph. Acharn. 948 sq. sic emendo*
ἀλλ', ὦ ξένων βέλτιστε, συν-
θέριζε καὶ πρόβαλλ' ὅποι
βούλει φέρων
ἅπαντα συκοφάντην
eiusdem autem fabulae versus 1140. 1141 in unum contrahendos puto hoc modo
τὴν ἀσπίδ' αἴρου· χειμέρια τὰ πράγματα.

7) *Aristophanis Lysistrata et Thesmophoriazusae eodem anno actae sunt Ol. 92. 1. Lenaeis altera, altera Dionysiis magnis.*

8) *Xenoph. Hellen. I. 4. quae §. 13—17 de Alcibiade dixisse feruntur Athenienses, insiticia sunt.*

9) *Cic. de fin. I. §. 70 scribendum „quod et fieri posse intellegimus et saepe evenire videmus," eiusdem autem l. III. §. 46 pro „quorum omne bonum convenientia atque opportunitate finitur, nec plura paucioribus nec longinquiora brevioribus anteponent" legendum est „quoniam — finitur. nec plura — anteponentur."*

10) *Tac. Dial. c. 17. i. f. ante verba „ne dividatis saeculum" intercidisse videtur itaque particula.*

11) *Dialogus de oratoribus Tacito immerito abiudicatur.*

12) *Musarum cultus origo non est ad fontium nymphas referenda.*

13) *Non recte qui de Musarum statuis ad nostram aetatem perlatis disserunt singulis accommodare student nomina illa novem Musarum; neque enim eo consilio ab ipsis artificibus factae sunt.*

14) *Archaeologia non est philologia monumentalis.*

15) *Philologia et historia non sunt diversae inter se disciplinae.*

